



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1248. Usque Ad Annum 1276

**Fleury, Claude**


**August. Vind. [u.a.], 1765**

**VD18 90118243**

Liber LXXXIII In Historiam Ecclesiasticam.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66255](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66255)



658  
661  
662  
664  
666  
668  
670  
672  
675  
677  
679  
680

HISTORIÆ  
ECCLESIASTICÆ  
LIBER LXXXIII.

(∞∞∞∞∞∞∞∞∞∞∞∞∞∞∞∞)

INNOCENTIUS IV. PAPA.  
FRIDERICUS II. IMP. OCCID.  
BALDUINUS II. IMP. ORIENTIS.

§. I.

*S. Ludovicus votum confirmat suum.*

**R**egi Franciæ S. Ludovico imminente  
tempore abeundi ad Terram sanctam  
Regni Proceres vehementius obji-  
ciebant, quod votum suum nec redimere  
*Hist. Eccles. Tom. XXI.*      A      vel-  
Sæcul. XIII.  
A.C. 1248.  
*Mat. Par.*  
p. 645.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1248.

Sup. lib. 82.  
§. 17.

vellet, nec commutare. Regina maxime Blanca mater sua ei instabat, suffulta monitis Parisiensis Episcopi Guilielmi Arvernensis, qui sic eundem alloquebatur: Memento, Rex, te hoc tanti momenti votum præcipiti consilio, nullius sententia rogata, ægrotum, perturbato cerebro, & ut verum dicam, mentis impotem nuncupasse, ita, ut verba a te prolata pondus nullum habeant. Talis voti religione Papa nos facile solvet, tuam præsentiam Regno necessariam, valetudinem fractam reputans. Hinc Friderici vires, illinc Angliæ Regis artes, præterea infidelitatem Pictonum, & Albigenis inquietudinem timemus merito. Dum Germania & Italia diversis motibus agitantur, difficile est Terram sanctam attingere, stationemque ibi tutam invenire: Papam & Fridericum implacabili incensos odio post te relinquis: quo in statu nos deseris? Regina teneriorem adhibens modum, Dilecte fili! ajebat, audi prudentium amicorum consilia, nec tuo ipsius judicio confide! Cogita, quam acceptus Deo sit filius obediens matri! Mane in patria tua! Terra sancta per absentiam tuam nihil amittet: numerosior illuc exercitus mittetur, quam si eam ipse peteres. Deus nobiscum non altercatur: conditio, in quam morbus te conjecit libertate animi ac penerationis usu privans, te satis excusat.

Rex

Rex his sermonibus moveri visus, Alienatæ menti, subdebat, crucem a me prehensam tribuitis. Bene est: depono eam, ut cupitis; & admota humero manu crucem inde avulsam Episcopo tradens, Habe! inquiebat, libere tibi reddo. Astantes cuncti gaudio exultabant: cum Rex vultum magis serium formans, Nunc profecto, dixit, nec ratione nec sensu destitutus, nec æger sum: reposco autem crucem meam, ac testor Deum, me nihil tibi sumpturum, donec eam recepero. Scilicet Deum hoc agere agnoscebant omnes, nec ausus est deinceps quisquam obsistere sancti Regis proposito.

Sæcul. XIII.

A. C. 1248.

Papa, quam grandia de illo speraret, 23 Februarii an. 1248 Nobilium Ordini populoque, cum eos sacrum ad bellum animaret, scripsit in hanc sententiam: D. N. J. C. ad liberandam terram suam multos inter Principes elegisse videtur dilectum filium nostrum Galliaë Regem, qui præter puritatem corporis & animi ac virtutum multitudinem etiam viris bellica laude claris, opibusque abundat. Induit crucem, ac præparationes tam magno Principe & tanta molitione dignas fecit, ita, ut eam prosperum ad finem perducturus merito censeatur. Papa subiungit, se Cardinali Odoni, Episcopo Tusculano, crucem manu dedisse sua, & legationem ad hunc exercitum detulisse.

V. ep. 612.

ap. Rayn.

1248. n. 28.

n. 29.

A 2

Pari-

Sæcul. XIII.  
A C. 1248. Pariter scripsit ad Patriarcham Hierosolymitanum, & ad Cypri Armeniæque Præfules. Legato imperavit, ut ante suum e Francia discessum neminem a voto absolveret: Episcopis Ebroicensi ac Silvanectano injunxit, ut omnes Cruce signatos ad iter proximo mense Martio cum Rege ingrediendum paratos esse juberent: idem mandatum sacris militibus Frisiæ, Bataviæ ac Zelandiæ misit.

## §. II.

*Expeditio sacra in Germania contra Fridericum.*

*P. Vin. lib. 1.  
sp. 4.* Sed paulo post Papa Germanos e templorum pulpitis ad aliud bellum facrum contra Fridericum stimulari jussit, quod expeditioni adversus ethnicos Terræ sanctæ possessores non poterat non obstare. Hic Princeps edici curaverat, ut, quisquis e viris Ecclesiasticis aut Religiosis ex præcepto Papæ vel Legati Pontificii sacrum aut reliqua officia divina peragere, vel Sacramenta administrare omiserit, bonis patrimonii sui ac Ecclesiasticis exutus ex urbe aut domicilii sui loco pelleretur, & posteriora quidem bona Clericis huic edicto obtemperantibus, priora vero hæredibus intestato succedentibus adjudicarentur. Addebatur inhibitio, nequis Religiosorum ab una urbe

be ad aliam abiret sine litteris Magistra-  
tus loci, a quo discederet, morum decen-  
tium & cognitæ in Cæsarem fidei te-  
stibus.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1248.

Comperto hoc edicto Papa anathema  
illum in Principem pronunciatum, & sin-  
gulis hætenus annis repetitum die Do-  
mini Coenæ sacro 16 Aprilis 1248 itera-  
vit, severiorem se fore minitans, si Fridericus in contumacia sua persisteret. Ita  
sonat epistola, quam ad cunctos Germa-  
niæ Præsules 18. Aprilis sive sabbato san-  
cto dedit, ac etiam ad Italiæ Præsules  
misit. Cum Principem hac agendiratione  
nihil magis commotum cerneret,  
quod intentaverat, exequendum ratus,  
quarto Maji Episcopis Frisingensi, Passa-  
viensi, & Ratisbonensi aliisque, ut Teu-  
tones in Fridericum ac filium ejus Con-  
radum tanquam Catholicæ fidei & liber-  
tatis Ecclesiæ oppressores accenderent,  
imperavit, illis, qui contra eos sacram  
militiam inirent, eandem spondens indul-  
gentiam, quam concederet Terram fan-  
ctam petentibus. Hæc expeditio ma-  
gnos in Germania motus concitavit, &  
inter causas belli civilis in Bohemia fuit,  
cujus Rex Wenceslaus IV. cognomine  
Luscus a Summo Pontifice stabat. Nam  
multi Proceres Wenceslao infensi susce-  
ptis Friderici partibus, seditione sua Pri-

V. ep. cur.  
44. Rayn.  
n. 2. 3. & c.

Id. n. 7.

n. 8. 9.

Sæcul. XIII. mislaum filium Regis natu maximum  
A.C. 1248. implicuere.

n. 10. 11. 12. Ratisbonæ cives aperte in Episcopum  
confurrexerunt, qui Papæ mandata fa-  
ciens eos anathemate perculerat, & ur-  
bem interdicto affecerat. Pergebant  
proscriptorum cadavera in cœmeterio se-  
pelire: e contrario cujusdam Comitum  
ad officium reversæ corpus e terra eru-  
tum & raptatum canibus in prædam  
projecerunt. Sacerdotem quendam, qui  
ad Ecclesiæ sinum redierat, usque ad ef-  
fusionem sanguinis verberatum detinue-  
runt in carcere, donec tanti sese, quanti  
volebant, redimeret. Denique statue-  
runt, nequis supra vestes crucem ferendo  
se Papæ militem profiteretur, alioqui mor-  
te mulctandus. Ne hæc scelera impune  
ferrent, Papa per litteras Episcopum Ra-  
tisbonensem præter anathema & inter-  
dictum rebelles prædiis beneficiariis, quæ  
ab Ecclesia haberent, privatos denuncia-  
re jussit, addita potestate eadem illis con-  
ferendi, qui fideles persisterent, aut ejus  
inimicos impugnarent. Præcepit etiam,  
ut nullæ cum seditiosis pactiones fierent,  
nec eis in judicio responderetur de debi-  
tis aut depositis, quæ reposcerent, & qui  
hac de materia jurassent, ab obligatione  
sua absolverentur. Atque ut poena ad  
fontium posteritatem transeat, volumus,  
addebat Papa, ut eorum posteros usque  
ad

ad quartam generationem a beneficiis <sup>Sæcul.XIII.</sup>  
 exclusos, & concessa illis privilegia omnia <sup>A C.1248.</sup>  
 esse sublata & nulla declares. Dabat  
 13 Maji.

## §. III.

*Nova hæresis in Suevia.*

**C**ensurarum contemptio in Germania <sup>Alb. Stad.</sup>  
 usque ad apertam hæresim progres- <sup>an. 1248.</sup>  
 sa est, ita, ut hoc anno 1248 eam defen-  
 sores sui publicis concionibus Halæ Sue-  
 vorum spargerent, quo regionis Optima-  
 tes æris campani sonitu convocaverant.  
 Dicebant, Papam hæreticum, Episcopos  
 sacrilegi mercatus reos esse; sacerdotes  
 ob peccata sua ligandi & solvendi potesta-  
 te carere, atque ob conscientiam gravi-  
 ter sauciam panem vinumque in Christi  
 corpus & sanguinem convertere haud  
 posse; omnes illos homines a longo tem-  
 pore profanis imponere. Neminem vi-  
 vum, nec Episcopum, nec Papam officium  
 divinum posse interdicere, idque auden-  
 tes esse hæreticos ac deceptores. Facie-  
 bant quoque copiam in urbibus interdi-  
 cto affectis assistendi sacrificio, & Sacra-  
 menta suscipiendi tanquam noxarum for-  
 des eluendi media. Perhibebant insu-  
 per, Fratres Prædicatores Minoresque  
 falsis sermonibus suis Ecclesiam perverte-  
 re, pravamque agere vitam, velut e-

Sæcul. XIII. tiam Cistercienses, cæterosque omnes  
A.C. 1248. monachos.

Nos soli vera loquimur, adjungebant, & fidem operibus sequimur. Nisi nos venissemus, Deus alios concionatores, qui Ecclesiam vera doctrina illustrarent, e lapidibus suscitasset potius, quam in periculo eam reliquisset. Vestri oratores hæcenus vera celarunt, quæ nos detegimus: falsa dixerunt, quæ nos silentio premimus. Ille, qui hæc protulit, sermonem suum sic finiebat: Indulgentia, quam nos vobis damus, non est ficta, nec a Papa, sed a Deo solo venit. Vix audemus Papæ mentionem facere: est corruptus nimium ac pessimi exempli homo. Orate pro Cæsare Friderico, & filio ejus Conrado, qui justitiam & omnes virtutes colunt! Conradus in Germania agens protegebat hæreticos, hac ratione se ac patrem suum defendi ratus. Hæc Albertus tunc vivens, qui relicta Stadenfi Abbatia in Saxonia institutum Fratrum Minorum amplexus erat.

## §. IV.

*Cædes Marcellini Aretini Episcopi.*

Fridericus odio & contemptu dignum se reddebat. Hyemem ad Parmam transegerat, eam se capturum confidens; cum obsessi per quendam desperationis impe-

*M. Paris.*  
*p. 643.*

impetum facta eruptione ejus castra seu novam urbem, cui nomen Victoriæ dederat, occuparunt die Martis 18 Febr. Fridericus Cremonam se recipere coactus suas sarcinas ac ærarium amisit una cum Thaddæo Sueffio hujus custode a Parmensibus in frustra conciso. Quæ clades Friderici auctoritatem in Lombardia non parum imminuit.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1248.

*Mon. Pad.*  
p. 692.

*Petr. Vin.*  
II. ep. 5. 41.

Interim Marcellinum Petium Episcopum Aretinum in carcere detinebat.

*Ughell. to. I.*

p. 469.

Hic Præsul Anconæ nobilissima ortus prospacia, Guelforum caput erat, ad quos suis monitis & largitionibus non cives solum, sed & populum ruri habitantem attraxit. Asculensis primum Episcopus fuerat, dein per Gregorium IX. Aretinus an. 1237 evasit. Sed a Gibellinis Hetruriam obtinentibus Aretio cum pluribus aliis pulsus, Romam confugit sedente Innocentio IV, qui Guelforum exercitui in Marchia Anconitana eum præfecit: studiis enim bellicis quam sacris addictior ille fuit, nec semel tantum Friderici copias profligavit. Denique captum & amplius trimestri spatio servatum in vinculis Fridericus etiamnum ad Parmam commorans ad suspendium damnavit, quod in arce S. Plamiani, ubi inclusus erat, executioni datum. Ministri Cæsaris accepto hoc mandato Marcellinum, ut Papam, Cardinales, cæterosque Præsules

*Epist. ap.*  
*Matth. Par.*  
p. 660.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1248.

eorum partibus adjunctos anathemate publico feriret, ac Imperatori fidem suam jurejurando obstringeret, urgebant, hoc pacto impunitatem una cum magnis opibus spondentes. At Episcopus anathema in Fridericum jam sæpius pronunciatum repetiit: deinde gnarus ad supplicium sese ductum iri, Sacramenta morientium omnia suscepit. Putaverat aquis se hauriendum; sed necis genus sibi decretum videns *Te Deum, & Gloria* in excelsis cecinit. Sarraceni sententiæ executores vinc̄tis manibus equi caudæ alligatum per urbem ad patibulum raptabant. Interea Fratribus Minoribus ab utroque latere se comitantibus errata sua palam confitebatur, & omnibus inimicis suis libente animo ignoscere se dicebat. Prima jejunii verni Dominica octava Martii erat, qua in furcam agebatur, ubi cadaver triduo custoditum. Fratres Minores subreptum terræ mandarunt. Sed effossum, per sordes tractum, infami rursus ligno suffixum hæsit, donec inde singulari Cæsaris ex imperio ablatum est. Cardinalis Rainerius litteras hac super re patheticas exaravit, quas conclusit hortando Christianos, ut sacram expeditionem in Fridericum bello in Terra sancta gerendo præferrent, ac malo urgentiori occurrerent. Matthæus Paris asserit, has litteras majorem contra illum indigna-

indignationem excitaturas fuisse, nisi Pa-  
 pæ partes eam in se per avaritiam, sacro-  
 rum nundinationes, usuras, cæteraque vi-  
 tia sua convertissent.

Sæcul. XIII.  
 A. C. 1248.

§. V.

*Jacobus Pantaleon Pontificius in Po-  
 lonia Legatus.*

Post concilium Lugdunense Papa Inno-  
 centius Legatum in Poloniam misit  
 Jacobum Pantaleonem, Archidiaconum  
 Leodiensem, & sacelli sui Præfectum.  
 Trecis in Campania natus veteramenta-  
 rii tutoris filius erat. In ætatis flore Pa-  
 risios ad litterarum studia profectus, pri-  
 mum Magister artium, deinde Doctor Ju-  
 ris Canonici, tum Theologiæ deditus ce-  
 leber concionator, demum Archidiaco-  
 nus Leodiensis evasit. Postquam vene-  
 rat in Poloniam, hoc anno 1248 Vratis-  
 laviae in Silesia concilium habuit, in quo  
 cum septem Episcopis scilicet Prandotha  
 Cracoviensi, Bogufalio Posnaniensi, Tho-  
 ma Vratislaviensi, Michaële Uladislavien-  
 si, Andrea Plocensi, Nanchero Lebusien-  
 si, ac Henrico Culmensi Fulco Archiepis-  
 copus Gnesnensis comparebat. Legatus  
 expositis gravibus Apostolicæ Sedis ne-  
 cessitatibus, ut Friderico resistere posset,  
 per tres annos proventuum Ecclesiasti-  
 corum partem tertiam postulabat: illi  
 quintam

*S. Antonin.*  
*3. par. tit. 19.*  
*c. 13.*

*To. II. conc.*  
*p. 702.*  
*Rayn. n. 49.*

Sæcul. XIII.  
A.C. 1248.

quintam polliciti, summam mox integram Papæ per Godefridum, qui ei a confessionibus erat, in antecessum miserunt: quam ob rem Innocentius publicas eis gratias egit. In Polonia jam inde ab introducta illuc Christiana fide moris erat, ut vernum jejunium a Dominica Septuagesimæ, ut vocant, inchoaretur: sed multis secus agentibus magna Clericos inter & laicos dissidia nascebantur: nam populus reliquas Occidentis nationes volebat sequi, Episcopi vero ad conservandum morem veterem censuras adhibebant. Itaque Legatus & Episcopi Poloniæ deliberabant, an Ecclesiæ Romanæ & Catholicarum regionum præcipue Latinarum consuetudini contraria hæc consuetudo tenenda esset? Restabat enim de ritu Græco, quem initio Poloni, ut Sclavi reliqui receperant. Cum omnia satis expendissent, Legatus ex consensu Episcoporum & autoritate Summi Pontificis permisit, ut Poloni universi tam Clerici quam profani usque ad diem cinerum carnibus vescerentur.

*V. Thomass.  
Jeunes. 2.  
par. c. 1. n. 13.*

*Post Chron.  
Pruss. p. 463.*

Quoniam Jacobi Archidiaconi legatio in Borussiam & Pomeraniam extensa erat, post Vratislaviense concilium in Borussiam delatus neophytis seu novis Christianis, Magistroque ac Equitibus Ordinis Teutonici eos ad quandam servitutis speciem deprimentibus multa præscripsit  
res

res spirituales æque ac temporales tan-  
gentia. Ego duntaxat ea, quæ ad Reli-  
gionem pertinent, memorabo. Neophy-  
tis legitimisque illorum filiis sacros Ordines suscipere licebit ac Deo dicatorum hominum institutum complecti. Ut promittunt, suorum cadavera non comburent amplius, nec una cum hominibus vivis, aut equis, armis, vestibus, vel rebus pretiosis, sed more Christiano in cœmeteriis sepelient. Idolo, quod sub Curchi nomine adorant, aliisque falsis Diis libationes deinceps non offerent, ut quolibet anno semel post collectas fruges facere consueverunt. Non habebunt in posterum deceptores illos, quos Taliffones Ligastonesque vocant, ethnicorum popis similes, & qui in exequiis mortuorum furta, rapinas, impuritates, cæteraque crimina laudant, & sublatis ad cœlum oculis clamant a se conspici vita functum in equo splendidis instructum armis magno cum comitatu per aërem volare ad orbem alterum.

Non tenebunt amplius uxores duas, multo minus plures, sed unicam, quam in præsentia testium ducerent, suaque conubia in Ecclesia promulgari curabunt. Filias suas in matrimonium collocandas non venundabunt deinceps, ut hætenus fecere: unde contigit interdum, ut filius patris sui viduam sibi adjungeret veluti  
partem

Sæcul. XIII.  
A.C. 1248.

p. 466.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1248.

partem successionis. In conjugii suis observabunt gradus propinquitatis secundum leges Ecclesiæ, nec hæredes præter legitimos liberos suos habebunt. Nemo eorum suum filium filiamve perimet, quocunque id modo fiat: sed ut primum infans natus fuerit, vel ad summum octavo die in templum portabitur a Sacerdote sacrosancto Christianorum ritu salutare in lavacrum ter immergendus. Hæc omnia notatu digna sunt, præsertim trina in aquam immissio. Præscriptum continuatur: Et quia sacerdotibus ac templis diu caruere, unde accidit, ut multi ob baptismi penuriam ad inferos sint delapsi, & plurimi necdum vitalibus aquis tincti supersint, hoc intra mensem fieri curabunt: alioquin (ut in hoc consenserunt) publicabuntur bona tam parentum, qui liberos suos intra hoc spatium lustrali fonte ablui per contemptum non curaverint, quam adulterorum, qui commoniti baptismum accipere obstinatis animis renuerint: ipsi vero solis tecti subuculis e Christianorum terris ejicientur, ne malis sermonibus suis reliquos corrumpant. Id totum procul abest a vetere disciplina de præparatione ad baptismum.

Designantur deinde loca, in quibus neophyti templa construant; nimirum tredecim in Pomerania, sex in Varmia, tria in Natangia, omnia post Pentecosten  
proxi-

proximam : & iidem se libros, calices, ornamenta, cæteraque necessaria se collaturos spondent. Ni faciant, eorum sumptibus illa condere jubentur Equites. Hi quoque promittunt, se dotem Ecclesiis, & sustentationem Parochis duros, donec accipiant decimas, quas neophyti eis allaturos se pollicentur. Hæc præscriptio facta præfente Henrico Episcopo Culmensi, quem Legatus consulto vocaverat, & septimo Februarii an. 1249 data est. Henricus erat Ordinis Fratrum Prædicatorum, & monacho, cui Christianus nomen erat, primo Episcopo Culmensi successerat. Anno 1251 Cathedralis Ecclesiæ suæ Canonicos religiosa lege solutos in Regulares convertit. Vitæ cursum confecit 1 Julii an. 1254.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1248.

Chr. Pruss.  
dissert. p. 222

§. VI.

*Talmud damnatur.*

In Gallia Cardinalis Legatus Odo Rodolphinus, antequam cum Rege Terram sanctam peteret, rem dudum inceptam finiit, nempe damnationem Talmudis. Sub annum 1236 Judæus quidam Rupellensis testibus Judæis ipsis rerum Hebraicarum scientissimus, Christianam amplexus fidem Nicolai nomen a sacro fonte tulerat. Is ad Gregorium IX. duodecimo sedentem anno scilicet 1238

Echard.  
sum. S. Th.  
vind. p. 583.

p. 592.

profe-

Sæcul. XIII.  
A. C. 1248.

profectus ei significavit, Judæos præter divinam legem a Moyse scriptam habere aliam, quam nominarent Thalmudem, nempe doctrinam a Deo ipso, ut ii quidem perhiberent, viva voce Moyfi traditam, & in sua memoria conservatam, donec eorundem Doctores aliqui eam, ne in oblivionem veniret, litteris mandassent, illamque volumen sacro Codice multo grandius efficere. Hunc autem librum tot errores & blasphemias continere, ut pudorem referenti, ac lectori horrorem incuterent; esseque causam præcipuam, quæ Judæos in obstinatione sua detineret.

Quo comperto Papa 9 Junii an. 1239 ad Archiepiscopos Galliæ litteras dedit, in quibus sic loquitur: Præcipimus, ut ex autoritate nostra in sua quisque provincia primo futuri jejunii verni sabbato mane, cum Judæi suas in Synagogas convenerint, omnes eis libros suos adimi, & apud Fratres Prædicatores Minoresve fideliter asservari curetis, Magistratus civilis præsidium, si opus sit, implorantes. Præterea cunctos Clericos & profanos homines, qui libros habebunt Hebraicos, vobis eos tradere jubebitis, proposita, si non pareant, anathematis poena. Eadem Epistola Angliæ, Castellæ, ac Legionis Archiepiscopis missa est. Papa itidem Franciæ, Angliæ, Arragoniæ, Castellæ,

stellæ, Legionis, Navarræ, ac Lusitanie Sæcul. XIII.  
 Regibus scripsit, & singulariter Episcopo A. C. 1248.  
 Parisiensi, cui injunxit, ut omnes has E-  
 pistolas, quas Judæus Nicolaus Rupellen-  
 sis ipsi traditurus esset, ad loca inscripta  
 mitteret. Mandavit simul Moderatori  
 Fratrum Minorum Parisiensium, ut Ju-  
 dæos sibi tradere libros ipsorum cogeret,  
 eosque, qui errores continerent, igni ab-  
 sumendos daret.

Una cum his epistolis Papa triginta  
 quinque puncta e Talmude excerpta mi-  
 fit, quæ præter multos errores alios in  
 libris Hebraicis ostensa sunt præsentibus  
 Gualterio Archiepiscopo Senonensi, Epis-  
 copis Parisiensi & Silvanestano, Gode-  
 frido Blevelio Ord. Præd. Sacelli Pontifi-  
 cii Præfecto, tunc Professore Parisiensi &  
 aliis quibusdam Theologiæ Doctoribus,  
 ipsisque Judæorum Magistris, qui has pro-  
 positiones suis inesse libris fatebantur.  
 Inter alias agnoscebant istas. Suis in  
 scholis pluris æstimari studium Talmudis  
 quam sacri Codicis, nec Doctorem voca-  
 tum iri eum, qui divinas litteras mandas-  
 set memoriæ, si Talmudem nesciret. Do-  
 ctiores posse sibi merito videri solutos le-  
 ge, qua septimi mensis die primo inflare  
 buccinas & decimo quinto portare pal-  
 mas juberentur, quoties in hos dies sab-  
 batum incideret, ne id violarent, tubas  
 palmasque per plateas ferendo. Deum  
*Hist. Eccles. Tom. XXI.* B singu-  
 p. 584.  
 p. 596.  
 p. 587.  
*Levit. 23.*  
*v. 24. 40.*  
 p. 588.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1248.

singulis noctibus ter sibi male precari, eo quod deseruerit templum suum, & Judæos in servitutem redegerit. Nullum Judæum ultra menses duodecim inferorum ignes aliamve pœnam in orbe altero senturum. Improborum omnium corpora & animas in pulverem versum iri; nec aliam illos pœnam passuros, exceptis iis, qui confurrexissent in Deum, ac Dii esse voluissent: horum cruciatus æternos fore. Deum quotidie scholam habere informando pueros, & cum Leviathan joculari.

p. 589.

His Judæorum libris diligenter examinatis constabat, illos per hos a sensu sacri Codicis non spirituali solum verum etiam litterario averti ad figmenta & fabulas. Et secundum sententiam Theologiæ ac Juris Canonici Doctorum omnium cuncti Judæorum libri, qui tunc poterant tota e Francia colligi, & viginti plaustra oneraverant, biduo concremati fuere.

p. 583.

to. II. conc.  
ep. 15. p. 625.  
Rayn. 1244.  
n. 41.

Cum Innocentius IV. solium Apostolicum conscendisset, 11 Maji an. 1244 sancto Ludovico hac de re scripsit, laudans fervorem ab eo jam demonstratum, & adhortans, ut porro discuti, condemnari, & comburi totum per Regnum suum curaret Judæorum libros, qui errores ac blasphemias continerent. Dein Cardinali Odoni suo in Gallia Legato, qui &

& ipse tanquam Ecclesiæ Parisiensis Can-  
 cellarius sententiam damnationis tulerat,  
 injunxit, ut Talmudem cæterosque Ju-  
 dæorum libros deferri ad se juberet, sedu-  
 lo examinatos in punctis Christianæ re-  
 ligioni haud contrariis toleraret, ac Ju-  
 dæorum Doctoribus redderet. At Car-  
 dinalis veritus, ne Papa eorum artibus  
 ac mendaciis se decipi pateretur, litteras  
 ad illum dedit, in quibus omnia, quæ hac  
 in causa sub Gregorio IX. facta erant, ex-  
 ponit, additque: Magnæ offensioni, fan-  
 ctæque Sedi perpetuo dedecori foret, si  
 ea jubente tolerarentur, immo Judæorum  
 Magistris restituerentur libri aliis in apo-  
 graphis præsentem Universitate, Clero, ac  
 populo Parisiensi tam juste tamque solen-  
 niter combusti. Hæc indulgentia esse  
 quædam approbatio videretur. Nam ut  
 S. Hieronymus ait, nulla doctrina tam  
 falsa est, ut nihil veri contineat: & ta-  
 men hæreticorum libri ex autoritate  
 conciliorum condemnati sunt, quamvis  
 boni aliquid complecterentur. Petii a  
 Judæorum Doctoribus, ut Talmudem cæ-  
 terosque libros suos omnes mihi osten-  
 derent: sed tantum quinque maligna vo-  
 lumina mihi attulere, quæ vestro jussu  
 solícite discutienda curavi.

Denique Legatus 15 Maji an. 1248  
 coram Doctoribus consulto accersitis sen-  
 tentiam tulit decretoriam his conceptam

B 2                      verbis:

Sæcul. XIII.  
 A.C. 1248.

Echard.  
 p. 592.

p. 596.

p. 597.

Sæcul. XIII  
A. C. 1248

verbis: Postquam Galliæ Judæi jubente Papa certos libros Talmudis nomine comprehensos nobis exhibuerant, hos tam ipsi perscrutati sumus, quam a viris doctis probisque excuti curavimus, & innumeros errores, blasphemias, ac res abominandas illis inesse vidimus. Igitur eosdem haud tolerandos nec Judæis reddendos esse statuimus, sed juridico ritu condemnamus. Libros reliquos vel nobis a Judæorum Doctoribus quamquam sæpius admonitis minime monstratos, vel non disquisitos in loco ac tempore cognoscemus amplius, & quod æquum erit, pronunciabimus. Tum nominatim scripti sunt ii, quorum sententias Legatus ad ferendum hoc judicium rogarat, & qui sigilla sua apposuerunt; scilicet Guilielmus Episcopus Parisiensis, Ascelinus Abbas ad S. Victoris, Radulphus ejus antecessor, & quadraginta alii tum Regulares tum Religiosis legibus soluti Theologiæ aut Canonici Juris Doctores, vel sacrorum Senatuum officiis præfecti.

p. 574.

Ad Talmudis examen adhibiti sunt Catholici duo interpretes Hebraicæ linguæ peritissimi, qui locos excerpandos latine reddebant, nunc verbis, nunc sensui adhærentes. E modo, quo voces hebraicas litteris latinis exprimunt, apparet, Judæorum prononciationem diversam fuisse ab hodierna. Invenio etiam in Matthæo

p. 618.

thæo Paride Doctorem quendam nomine Sæcul XIII.  
A.C. 1248.  
Robertum Aruntinensem Hebraici ser-  
monis scientissimum, e quo libros plures  
in latinum fideliter converterat, anno  
1246 mortuum. Hinc constat, hoc stu-  
dium inter Christianos haud prorsus ne-  
glectum fuisse.

## §. VII.

*S. Ludovicus Terram sanctam  
petit.*

**D**ies Veneris post Pentecosten duode-  
cima Junii erat, qua S. Ludovicus  
an. 1248 ad Terram sanctam abiit. Illa Chr.  
die comitantibus se fratribus suis Rober- S. Dion. to. 2  
Spicil. p. 815  
Du Cange  
dissert. 15. 68  
18. sur  
Joinv.  
Gesta Du-  
chesne p. 346.  
to Artesiæ, & Carolo Andegaviæ Comi-  
tibus Dionysiopolim profectus, ibi e ma-  
nu Legati Odonis Castro-Rodulphini  
flammeum Abbatiae vexillum, crumenam  
Zonariam, & baculum longiorem pere-  
grinantis signa accepit; tum S. Benedi-  
cti familiam in senaculo valere iussit. Pa-  
risios reversum plura in supplicationem  
instructo ordine procedentium agmina  
usque ad Abbatiam S. Antonii comita-  
bantur: unde in viam se dedit cum Le-  
gato, duobus fratribus suis, & magno E-  
piscoporum Procerumque numero. Al-  
phonfus Pictavii Comes, tertius Regis  
frater crucem & ipse quidem induerat;  
sed hoc anno etiamnum in Francia cum

Sæcul. XIII.  
A. C. 1248.

*Joinville*  
*hist. p. 118.*

*Mat. Par.*  
*p. 650.*

Regina Blanca matre sua Regni custodiam agendi causa manebat: Regina Margarita Regem conjugem suum in itinere sequebatur. Ab eo tempore S. Ludovicus magnam in vestibus suis modestiam coluit. Abdicavit colores splendidos, textaque ac vellera pretiosa ut mustelarum ac murium Ponticorum: non coccineo, non viridi, sed atro vel cæruleo panno e villis caprinis contexto tegebatur: nec inauratis calcaribus aut frenis equorum utebatur amplius; sed & horum sellis ornatus aberat. Et quia pauperes Regii vestiarii reliquias obtinere consueverant, suarum largitionum Præfecto certam pecuniæ summam designavit, qua hæc earum diminutio compensaretur, cum modestiam suam illis damnum creare nollet.

Per Burgundiam Lugdunum delatus invisit Papam, & ut Friderico infaustis rerum eventibus depresso ac veniam petenti benevolas præberet aures, efflictim orabat. Paterna proin benignitate illum recipe, addebat, ut me in itinere meo securiorem reddas, si aliud nihil te moveat. Sed in Papæ vultu repulsam legens, recedebat moestus, & Vereor, agebat, ne durtia tua Galliæ incurfus hostium accersat. Si bellum sacrum retardabitur, in culpa eris: ego regnum meum ut pupillam oculi defendam, quia ab ejus salute pendet

pendet tua & totius orbis Christiani sa-  
 lus. Papa reposuit: Franciam, dum vi-  
 vam, tuebor a Friderico schismatico, ab  
 Angliæ Rege beneficiario cliente meo,  
 & a reliquis omnibus inimicis suis. Tum  
 Rex paulo placatior, Quando sic spondes,  
 inquiebat, Regnum meum tuæ curæ re-  
 linquo. Et vero Papa ob id solum duos  
 in Angliam Nuncios misit, ne quem lo-  
 cum Galliæ proprium Rex Henricus in-  
 vaderet, prohibituos.

S. Ludovicus etiam flagitavit, ut Ray-  
 mundo Tolosæ Comiti per Papam liceret  
 sui patris Raymundi senioris anno 1222  
 mortui ossa in cœmeterio sepelire. An-  
 no 1247 Raymundus junior a Papa man-  
 datum impetraverat, ut Guilielmus Epis-  
 copus Lutevanus inquireret, qualem Ray-  
 mundus senior vitæ finem fecisset? Pa-  
 pa tamen sive ob rem sibi non satis pro-  
 batam sive alia de causa non permiserat,  
 ut ejus ossa humarentur: atque ita Ec-  
 clesiastica sepultura caruerant. Rex, an-  
 tequam a Papa discederet, sacram ei con-  
 fessionem fecit, cum ad eam sumpto spa-  
 tio se præparasset: & absolutus accepta  
 fausta ejus precatione iter suum perse-  
 quebatur.

Oppugnavit cepitque in transitu ca-  
 strum ad Rhodanum situm, cui nomen  
 Rupes Gluvii erat, & cujus Dominus Ro-  
 gerius Cloregius prætereuntes, etiam ad

B 4 Terram

Sæcul. XIII.  
 A.C. 1248.

Guil. Pod.  
 Laur. c. 47.  
 Sup. lib. 78.  
 §. 53.  
 Raynald. an.  
 1247. n. 44.  
 Catel. comtes  
 p. 316.  
 M. Par.  
 p. 650.

Gesta. p. 346.  
 G. Pod.  
 Laur. c. 48.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1248.

*M. Par.*

*V. Sup. lib.*  
79. §. 29.

Terram sanctam peregrinantes redemptionis lege vexabat. Cum Rex Avenionem advenisset, Galli incolis insultantes eos vocabant Albigenfes, proditores ac veneficos. Qui angustis in viis illorum alios spoliabant, alios occidebant. Quidam Proceres suadebant Regi, ut urbem obsideret, aut hoc ipsis permetteret, mortem sui patris vindicandi causa, cui venenum ibi præbitum esset. Scilicet hanc in suspicionem Avenionenses ceciderant. Rex, Non mei parentis, aiebat, nec meas, sed Christi injurias ultum eo. Mare trajiciendi tempus instat: non patiamur nos a dæmone decipi obstacula nobis ponere cupiente. Et insistens itineri Aquas Mortuas attigit, ubi postridie festum S. Bartholomæi die Martis 25 Augusti farcinas navibus imponi jussit, ventoque per sequens biduum expectato, die Veneris 28 ejusdem mensis vela fecit. Fuitque navigatio tam prospera, ut ex proposito ad Cyprum die Jovis ante festum S. Matthæi 17 Septembris advectus, portum Limesionicum teneret.

§. VIII.

*Guilielmus coronatus Romanorum  
Rex.*

Postquam Guilielmus Batavus in Romanorum Regem electus fuerat, Aquis-

quisgrani ex more coronari volebat: sed Sæcul. XIII.  
 Conradus Imperatoris filius eum urbis a- A. C. 1248.  
 ditu prohibuit. Legatus Octavianus, Matth. Par.  
 Conradus Hochstadius Archiepiscopus p. 644.  
 Coloniensis, aliique Germaniæ Proceres  
 Conradum amice hortabantur, ne malas  
 patris sui partes sequeretur, si ejus cala-  
 mitate implicari nollet. Sed reposuit:  
 Proditores vobis similes nunquam effi-  
 cient, ut omittam, quod patri debeo. I- Sup. lib. 82.  
 gitur Aquisgranum a Guilielmi partibus §. 51.  
 oppugnatum, cruentumque in regione  
 bellum accensum est. Colonia, Mogun- Frag. ap.  
 tia, & Argentina Guilielmo favebant: Ursit. p. 92.  
 Metæ, Wormatia, Spira, cæteræque Rhe-  
 nanæ, Sueviæ & Baviariæ urbes a Fri-  
 derico stabant. Sed Guilielmi partibus  
 accessiones quotidianas faciebant Fra-  
 trum Prædicatorum Minorumque con-  
 ciones ac pecuniæ a Papa missæ. Qui Raynald.  
 etiam orante Principe Cardinalem Capo- 1248. n. 13.  
 cium alterum in Germania Legatum  
 suum jussit Frisones belli in Terra sancta  
 gerendi voto exsolvere, si sub ejus signis  
 militarent. Aquisgrani obsidio diuturna M. Par.  
 fuit: sed tandem interna fame ac exter- p. 649. 651.  
 na vi hostium indies auctorum se dedere  
 coactum est; ibique Regi Guilielmo festo Siffrid.  
 Omnium Sanctorum die 1248 Archiepis- p. 696.  
 copus Coloniensis in præsentia duorum  
 Cardinalium coronam imposuit.

Sæcul. XIII.

A.C. 1248.

§. IX.

*S. Ferdinandus Hispalim capit.**Chron. c. 17.**ap. Boll. 30.**Maji. to. 18.**p. 350.**Annal. de**Sevill. lib. 1.**Madrid.*

1677.

In Hispania Ferdinandus Rex contra Mauros progressus suos bellicos urgens sedecim menses Hispalim Andalusie caput obsidebat, donec eam caperet, non abeundi voto suscepto. Illius castra erant similia magnæ urbi bonis legibus institutæ, ubi quælibet ars plateam suam, commeatus peculiaria sibi fora, milites cum uxoribus ac liberis suis fixam habitationem habebant. Obsessi premente necessitate ad pactiones descendere cupiebant, & multis conditionibus a Rege recusatis consenserunt in deserendam urbem & in adeunda loca alia. Id denique solum petebant, ut sibi liceret delubrum primum, vel saltem ejus turrim (unde preces annunciabantur) destruere, quia hæc ædificia ad usum Christianæ religionis adhibitum iri prævidebant. Rex filii sui Alphonfi arbitrio rem permisit, qui ne tegulam quidem inde demi voluit. Tandem die S. Clementi sacra 23 Novembris an. 1248 urbs victori relicta est, postquam quingentos triginta quatuor annos in Musulmannorum potestate fuerat. Egressi trecenties mille numero tum in Africam, tum in Regnum Granatense, cæterasque terras, quas adhuc in Hispania tenebant, se receperunt.

Rex

Rex Ferdinandus Hisp. lim non nisi Sæcul. XIII.  
 post mensis spatium nempe 22 Decem- A. C. 1248.  
 bris translationi S. Isidori ejusdem urbis  
 Episcopi sacro intravit. Ab Episcopis  
 & Clero obviam instructo ordine proce-  
 dentibus exceptus, templum SS. Virgi-  
 nis adiit, ubi divinum sacrificium peregit  
 Guterius electus Archiepiscopus Toleta-  
 nus. Rodericus Chimenesius per histo- Indic. Ar-  
 riam suam clarissimus anno præterito rag. p. 87.  
 1247 Lugduno, ubi Papam inviserat, re-  
 dux 10 Junii rebus humanis ereptus e-  
 rat. Joannes Uxamensis primum, dein-  
 de Burgensis Episcopus tunc ad sedem  
 Toletanam translatus eam vix supra an-  
 num tenuerat: & in ejus successorem  
 electus fuerat Guterius ejusdem Eccle-  
 siæ Canonicus, qui anno 1250 diem o-  
 biit. Ut metropolitana sedes cum Cano-  
 nicorum Collegio & dignitatibus Hispali  
 restitueretur, ante omnia curavit Ferdi-  
 nandus, magnisque illam Ecclesiam bo-  
 nis dotavit, ut a Papa per litteras eodem  
 anno de prospero totius belli successu  
 datas monitus fuerat. Effecit quidem, ap. Rayn.  
 ut quartus filius suus Philippus in Hispa- n. 47.  
 lensem Archiepiscopum eligeretur: sed  
 hic Princeps solum administratoris titu-  
 lum sibi sumpsit, & postea cessit jure suo,  
 quin etiam conjugem duxit. Primus  
 Hispalis a Christianis receptæ Archiepis-  
 copus fuit Raymundus antea Episcopus  
 Segor-

Sæcul. XIII.  
A. C. 1248. Segoviensis, ac Regis Ferdinandi Cancellarius, qui ante Philippi abdicationem tanquam ejus vicarius aut Suffraganeus Ecclesiæ Hispalensi deservierat.

§. X.

*Concilium Valentinum.*

Quamvis Imperator Fridericus in Apulia esset, Papa Innocentius metuebat, ne trajectis ille alpibus Lugdunum peteret; ut constat ex decretis Concilii Valentiaë ad Rhodanum habiti sabbato post festum S. Andreaë, nimirum 5 Decembris an. 1248. Duo Cardinales ei præsidebant, scilicet Petrus Episcopus Albanensis, & Hugo Presbyter tit. S. Sabinæ: Papæque jussu eidem intererant quatuor Archiepiscopi, Narbonensis, Viennensis, Arelatensis, & Aquensis; ac quindecim Episcopi, Biterrensis, Agathensis, Uzetientis, Nemausensis, Lutevanus, Aginensis, Vivariensis, Massiliensis, For-Julienis, Cabellionensis, Carpentoractensis, Avenionensis, Vasionensis, Dienensis, ac Tricastrensis. Edebantur ibi tres ac viginti canones, ut veteres executioni darentur, ad conservandam fidem, pacemque ac libertatem Ecclesiasticam pertinentes. En ea, quæ inibi memoratu digniora mihi videntur! Secundum decreta conciliorum (inter alia inspicipotest

*Sup. lib. 79.*  
*§. 58. to. 28.*  
*p. 433.*

est Tolosanum anni 1229) Catholici omnes tertio quovis anno juramentum pacis repetent. Eodem jurejurando se nunc adstringent, ut Friderico schismatico & pacis turbatori nullum ferant auxilium, atque, si forsitan ipse vel ejus partium quisquam has in provincias venerit, illi tectum & obedientiam denegent. Tum iteratur anathema contra ipsum, fautores ejus, & omnes, qui ad eundem provocaverit, aut provocabunt: & illi declarantur infames, nec idonei ad testimonium, aliumve actum legitimum.

Ut perjuria tam crebra reprimantur, Episcopi ea pœnis per canones statutis strictissime vindicabunt. Qui sententias Inquisitorum non executi fuerint, tanquam hæreticorum fautores tractabuntur. Qui cruces, quas ut ejuratæ hæresis signa supra vestes suas gerere debent, temere deposuerint, pro hæreticis habebuntur. Ut comperimus, inquit Concilium, quidam contra illos, a quibus proscribuntur, aut proscripti denunciuntur, constitutiones faciunt; id quod penè hæreticum est, cum per contemptum clavium Ecclesiæ fiat. Quamobrem statui-  
mus, ut ii, qui tales sanctiones ediderint, hanc ipsam quoque ob causam ab Ecclesiæ corpore sejungantur, & ubicunque morabuntur, ab officio divino cessetur. Num vero sperari poterat, secundæ censuræ majorem

Sæcul. XIII.  
A. C. 1248.

c. 2.

c. 22. 23.

c. 6. 7. 8.

c. 9.

c. 13.

c. 15.

Sæcul. XIII. majorem quam primæ rationem habitum  
 A. C. 1248. iri? Hoc Concilium etiam conjurationes  
 ac societates prohibet, ac foedus contra  
 c. 20.  
 Sup. lib. 82. Clerum a Franciæ Proceribus anno præ-  
 S. 48. terito conflatum respicere videtur.

## §. XI.

*S. Ludovicus in Cypro.*

Rayn. 1247. Interim S. Ludovicus in Cypro ab insulæ  
 n. 55. Rege Henrico Liciniacensi exceptus  
 Gesta. Du- erat, cui Papa Innocentius etiam Regnum  
 chesne p. 347. Hierosolymitanum detulerat, id pro vi-  
 duo habens ob condemnatos Fridericum  
 & Conradum hujus filium. Quia Fran-  
 ciæ triremes ac navigia, balistarii & re-  
 liqua Gallorum pars nondum advene-  
 rant, Ludovicus de consilio suorum &  
 Cypri Procerum hyemem ibi agere sta-  
 tuit, cum Ægyptum in tempore adire  
 haud posset. Decreverat enim, Ægypto  
 bellum inferre, ut Sultanum Terræ san-  
 ctæ possessorem in ipsius regione invade-  
 ret, sicut annos abhinc triginta factum  
 erat. Henricus cum Regni Præsulibus  
 ac toto pene Nobilium Ordine crucem  
 induit, & anni futuri Pascha ad abitum  
 universi exercitus destinatum est. Lu-  
 dovicus per id tempus, quo in Cypro com-  
 morabatur, composuit multas controver-  
 sias inter Proceres cruce signatos, quos  
 continere difficile semper fuit, cum alteri  
 ex

Sup. lib. 78.  
 S. 15.

ex alteris non penderent, ac Regibus suis parum obtemperarent. Latinus Nicosiæ, quæ insulæ caput erat, Archiepiscopus a quibusdam Regni Nobilibus dissidebat; quapropter fere omnes a piorum cœtu secluserat: Legatus Odo Castro-Rodulphinus partes reconciliando fecit, ut Nobiles abolverentur. Archiepiscopus Græcus ex insula dudum relegatus fuerat tanquam schismaticus & Archiepiscopo Latino inobsequens: sed tunc reversus ei se submitit cum Græcis reliquis ab Ecclesiæ communione repulsis. Legatus eos anathemate solvit, & coram illo errores quosdam abjurarunt.

Erant in Cypro Sarraceni captivi, quorum multi baptismum vehementer petebant, quanquam edocti erant, non ideo se liberos fore. Legatus quinquaginta septem fidei mysteriis imbuit, hoc est, catechumenos fecit die festo Epiphaniæ 6 Januarii, & postquam triginta sacro fonte lustraverat, Græcis instructo agmine procedentibus ad certum fluvium se contulit, ubi in præsentia utriusque Regis unum Deum, unam fidem, unum baptismum esse, atque se hanc ceremoniam in memoriam Christi a Joanne simili die in Jordane abluti facere agnoscebant. Intingentes crucem in aquam hæc dicebant verba: Pater est lumen, Filius lumen, Spiritus Sanctus lumen. Fundebant

Sæcul XIII.  
A.C.1248.

To.7. Spicil.  
p. 223.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1249

bant ibi preces pro Papa, non item pro Imperatore Vatacio, quoniam hunc ille sacro fulmine perculerat. Hæc Legatus ipse in aliqua ad Papam epistola refert.

## §. XII.

*Tartarorum ad S. Ludovicum  
legatio.*

p. 215. **U**t idem Legatus iisdem in litteris memorat, die lunæ post festum S. Luciae nempe 14 Decembris an. 1248 in Cyprium advenerunt Legati cujusdam Tartarorum Regis, & Nicosiam delati S. Ludovico tradidere epistolam Domini sui Ercalthai sermone Persico ac litteris Arabicis scriptam, in qua, cum eum inter exquisitam verborum lautitiam tumido gentium ad Ortum habitantium stylo salutasset, dicebat: Oro Deum, ut Regum Christianorum copiis victoriam ac triumphum de inimicis crucis tribuat. Et postea: Volumus, ut omnes Christiani sint liberi, ac de suis bonis securi, templa diruta reædificent, & in quiete pro nobis preces ad Cœlum mittant. Kiocai Rex terræ præcipit, ut in divina lege inter Latinum, Græcum, Armenum, Nestorianum, Jacobitam & cunctos, qui crucem adorant, nulla sit differentia: omnes sunt apud nos iidem, atque ut omnibus æque faveatis, cupimus. Epistola duobus

*Duchesne*  
p. 348.

*Matth. Ad-*  
*ditam. p.*

bus Legatis Davidi & Marco fidem faciebat. Ille, qui Kiocai dicitur, est Cajucan, & Ercalthai suo duntaxat nomine loquitur.

Sæcul. XIII.

A.C. 1249.

Cum S. Ludovicus has litteras acciperet, adstabat ei quidam Frater Prædicator Andreas Longogeminus nomine, qui Davidem priorem ex his Legatis noverat, quoniam eum viderat in exercitu Tartarorum, cum inter hos ageret a Papa cum fociis missus. Rex epistolam Tartari ab Andrea latine redditam in Galliam ad Reginam Blancam deferri voluit. Paulo ante Rex Cypri & Comes Joppes S. Ludovico præbuerant litteras a summo Armenicæ militiæ Præfecto ad se ambos datas. In itinere ad Canum Tartarorum eas scripserat hunc in modum: Per octo jam menses diu noctuque progressi, nondum dimidiam, ut audimus, viam ad locum, in quo Canus est, conficimus. Tum de regione, quam Tangath nominat, loquens: Inde tres Reges Bethlehemium venerunt; ac regionis incolæ sunt Christiani. Intravi eorum templa, & in imagine illos JESU Christo munera sua offerentes vidi. Illorum beneficio factum, ut Canus una cum suis omnibus Christianam nuper fidem amplecteretur. Habent ante suas fores Ecclesias, ac æra campana pulsant, ita, ut, quicumque Canum adit, seu Sarracenus sit, seu Chri-

p. 347.

p. 348.

Spicil. p. 217

*Histor. Eccles. Tom. XXI.* C stia-

Secul. XIII.  
A. C. 1249.

ftianus, velit, nolit, prius ingredi templum, & Christum venerari debeat.

Invenimus etiam multos Christianos ad Ortum dispersos, & pulchras haud parvo numero Ecclesias veteres a Turcis destructas: quam illi injuriam Cuius hodierni avo conquesti sunt. Is magno exceptos honore in libertatem asseruit, vetansque, nequis eisdem ægre faceret, Saracenos in ruborem dedit. At his Christianis sacri Oratores, a quibus informantur, desunt, culpa non levi cadente in eos, quibus hoc curandum. In India, quam Apostolus S. Thomas Christo adjunxit, quidam Rex Christianus a Regibus Saracenis vicinis suis antehac multa perpeffus, advenientium Tartarorum, quorum in clientelam se tradidit, auxilio tantos fecit progressus, ut omnes ad Ortum plagæ Indicis mancipiis affluant. Supra quinquagies mille conspexi, quæ Rex venum mittebat. Huic exercitus Armenici Præfecto credi possunt ad summum ea, quæ vidisse se scribit. Sed quod de Tartarorum Cano ad sanam religionem adducto audierat, falsum esse conitat ex iis, quæ tum retuli hætenus, tum deinceps narrabo. Nihilominus idem perhibebant Ercalthaji Nuncii, quos se dicebant.

*Sup. Lib. 82.*  
*S. 55. 56. &c.*

S. Ludovicus acceptis litteris, quas attulerant, in præsentia Legati, quorundam  
dam

dam Præfulum & consilii sui, Quomodo adventum meum, inquit, cognovit Dominus vester? Unde venerunt Tartari & quo fine? Quam regionem nunc incolunt? Num Rex eorum magnum habet exercitum? Qua ex occasione nostram amplexus est fidem? Quot ætatis annos numerat? An multi alii baptis-  
 mate una cum illo resperfi sunt? Easdem quæstiones de Ercalthajo movebat. Rogabat insuper, cur Bachon (Bajothnojum intelligo) Papæ Nuncios tam aspere excepisset; an Sultanus Mosulix Christianus esset; denique, quam Nuncii patriam haberent, & quamdiu veram colerent Religionem?

Sæcul. XIII.  
 A. C 1249.

Sultanus Mosulix, reponebant, ad Canum epistolam misit, quam a Sultano Ægyptio receperat, & in qua iste de tuo adventu loquebatur, se sexaginta tuarum navium captas in Ægyptum duxisse falso perhibens, ne Sultanus Mosulix fiduciam in te poneret. Hac occasione Ercalthai te advenisse comperit, & nos ad te misit edocendum, Tartaros obsidendo æstate proxima Bagdetix Califæ intentos esse, orandumque, ut Ægyptum invadas, ne quod subsidium inde trahere Califa posset. Postquam de Tartarorum origine, ac vivendi modo responderant, addebant: Kiocai hodie regnans matrem habuit Christianam Presbyteri Joannis filiam:

C 2

qua

Sæcul XIII.  
A.C. 1249.

qua cum Malassia sancto Episcopo stimu-  
lante die Epiphaniæ primis Christiano-  
rum sacris initiatus est una cum octode-  
cim filiis Regum ac multis militum du-  
ctoribus. Multi tamen lustrali fonte  
necdum loti sunt. Ercalthai, qui nos  
misit, annis jam pluribus est Christianus;  
& quamvis e stirpe Regia ortum non du-  
xerit, potentia tamen valens, modo in vi-  
cinitate Persiæ ad Orientem habitat. Ba-  
chon ethnicus est, ac Saracenorum con-  
siliis utitur: idcirco Papæ Nuncios male  
accepit; sed accisis viribus nunc ab Er-  
calthajo pendet. Sultanus Mosulæ est  
matronæ Christianæ filius, Christianos  
ex animo diligit, festos eorum dies obser-  
vat, Mahometis legem nequaquam se-  
quitur, atque si ferret occasio, libenter  
Christianus fieret. Ad nos quod atti-  
net, ex urbe sumus, quæ bidui itinere  
Mosulia distat, & Christianam fidem e  
Majoribus nostris hausimus. Papæ no-  
men nunc est celebre inter Tartaros: &  
Ercalthai Dominus noster hac æstate  
Bagdetiæ Califam adoriri cogitat, inju-  
riamque JESU Christo per Coresmianos  
factam ulcisci. Talis erat Legatorum  
responsio.

*Spicil. p. 222*

*Duch. p. 350.*

*Joinville*  
*p. 25.*

A Rege abeundi veniam 25 Jan. 1249  
adepti, post biduum Nicosiam relique-  
runt comitantibus se tribus Fratibus  
Prædicatoribus Andrea, Joanne, ac Gui-  
lielmo,

lielmo, quos ille ad Tartarorum Regem Sæcul. XIII.  
 mittebat cum cruce de ligno veræ cru- A. C. 1249.  
 cis confecta, cum coccineo tabernaculo  
 Christi vitam per opus Phrygium exhi-  
 bente, aliisque cum donis, quæ Princi-  
 pem curiosum ad religionem allicerent.  
 Eodem fine Cano & Ercalthajo scripsit:  
 ac Legatus eos ad agnoscendum Eccle-  
 siæ Romanæ principatum, Papæque au-  
 thoritatem, Præsules vero Principibus il-  
 lis obnoxios ad concordiam primorum-  
 que conciliorum fidem conservandam per  
 epistolas est exhortatus.

§. XIII.

*Joannes Parmensis Pontificius in  
 Græcia Legatus.*

**L** Laurentius Ordinis Fratrum Minorum Sup. lib. 82  
 expiationum Præfectus, ac Legatus §. 61.  
 ad Ortum Pontificius abhinc biennio nun- S. Ant. 3.  
 ciaverat, se opportunam viam ad reddendos part. tit. 24.  
 Ecclesiæ Græcos, atque Imperatoris §. 5.  
 Joannis Vatacii & Patriarchæ Manuelis Vading. a. 1249.  
 Caritopuli animos ad id negotium bene Boll. 9.  
 comparatos cernere. Igitur Papa Inno- Mart. to. 8.  
 centius an. 1249 Joannem Parmensem p. 60.  
 Generalem Ordinis Ministrum ad eos mi-  
 fit tanquam Legatum suum. Qui Ni-  
 cæam delatus apud Imperatorem, Pa-  
 triarcham, Clerum, ac populum tantam  
 existimationem ac reverentiam sibi con-  
 ciliavit.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1249

ciliavit, ut antiquorum Patrum quendam & verum Christi discipulum in eo conspiciere sibi viderentur. Etiam focii ejus optimo morum exemplo Græcis erant; inter alios Frater Gerardus, qui donum vaticinationis habuisse dicitur. Joannes Parmensis rem tam strenue gessit, ut Imperator & Patriarcha Nuncios ad Papam Innocentium mitterent. Sed in via ex-pilati subsistere cogebantur, ac deinde ad Dominos redire suos, cum ob temporum difficultatem ad Papam advenire haud possent. Demum summi Pontificis & Imperatoris Græci obitus suscepta reconciliationis consilia fregit. At Joannes Parmensis pluribus annis ante illorum mortem revererat, & a fine anni 1251 apud Papam erat.

## §. XIV.

*Nicephori Blemmydæ constantia.*

*Gregoras*

*p. 26.*

*Matth. Pav.*

*p. 562.*

*Cang. famil.*

*Byz. p. 223.*

Imperator Joannes Vatacius extincta prima uxore sua Irene Lascaride, anno 1244 duxit Annam Cæsaris Friderici filiam spuriam, Manfredi sororem. Erat in ætatis flore, ac inter alias foeminas eam secuta fuerat quædam Marcesina nomine, quæ apud illam moderatricis tenebat locum. Hæc per elegantiam formæ ac subdolas artes suas Imperatorem ita fascinare sciebat, ut ipsam impo-  
tenti

tenti amore deperiens sandaliis purpura-  
 reis, cæterisque Imperatoriæ conjugis  
 notis donaret; sola ut cor Principis, sic  
 authoritatem in aula teneret, ac juve-  
 nem Dominam suam præ se deprimeret.

Sæcul.XIII.

A. C. 1249.

Quodam die Marcesina tam curiosita-  
 tis quam pietatis causa monasterium a-  
 diit, quod Nicephorus Blemmydas vir  
 doctrina simul ac probitate spectabilis in  
 honorem S. Gregorii Thaumaturgi eo lo-  
 co, qui Emathia vocabatur, condiderat,  
 & factus Abbas regebat. Illuc Marce-  
 sina cum numerofo comitatu, & magnifi-  
 ca pompa venit, Imperatricis decora,  
 quæ gerebat, ostentans. Sed, antequam  
 vestibulum intraret, Nicephorus templi  
 portam intus occludi jussit, haud permit-  
 tendum ratus, ut mulier tam indigna, in  
 quam & viva voce & scripto libere inve-  
 ctus esset, hunc sanctum locum præsen-  
 tia sua profanaret, præsertim inter divi-  
 num (quod tunc fiebat) sacrificium.

Marcesina se gravissime offensam re-  
 putans, furiosa exarsit ira, cui aulici adu-  
 latores oleum affundebant. Itaque ad  
 Imperatorem reversa, injuriam sibi factam  
 exposuit, atque in ipsum recidere affir-  
 mavit, ad vindictam eum, quantum pot-  
 erat, stimulans, Aulicis, qui tempori fer-  
 viebant, mirifice assentientibus. At Im-  
 perator ob pessimi exempli vitam cum  
 Marcesina actam jam diu se acerbissime

Sæcul. XIII.  
A.C. 1249.

pungi sentiens expectabat, dum divina gratia ipsum per poenitentiam tam miserabili e statu extraheret. Quapropter Aulicis, ut ignominiam Marcesinæ impositam ulcisceretur, instantibus, in lachrymas solutus ducto e visceribus imis suspirio, Cur me urgetis, ajebat, ut hominem justum puniam? Si sine probro ac dedecore vivere voluissem, Imperatoria mihi dignitas conservanda fuisset integra. Nunc, cum me ac Imperium infamia cumulaverim, æquum est, ut patiar poenam, & amaros scelerum fructus colligam.

ap. Allat.  
de Conf.  
p. 717. not. ad  
G. Acrop.  
p. 254.

Nicephorus Blemmydas Imperatoris animum sic comparatum esse probabiliter ignorans, sed quid ex Aulæ moribus constantiam suam maneret, videns, publice propugnandam censuit causam suam, & epistolam circummisit, in qua exposito factō & exaggerata Marcesinæ insolentia assererat, Ecclesiæ ministros facras leges invicta fortitudine observare, noxia verecundia non impediri, nec metu aut spe præterquam æterni supplicii vel præmii tangi debere.

§. XV.

*Friderici ærumnæ.*

M. Par.  
p. 662.

Cæsari Friderico in Apuliam reverso, ibique graviter ægrotanti medici purga-

purgationem primum, deinde balneum suadebant contra morbum ipsius de industria præparandum. Medicus autem, quem Doctor Petrus de Vineis Friderici arcanorum particeps secum habebat, medicinam & balneum parare iussus ex Petri consilio mortiferum venenum immiscuit. Inimici Papæ perhibebant, ab eo Petrum donis ac promissis ad hoc crimen subornatum fuisse. Fridericus de occulta conspiratione monitus, adductum a Petro medicum potumque porrigentem priorem bibere iussit, positis retro custodiis, ne illi aufugere possent. Improvisa re percussus medicus vestigio falli se simulavit, & data opera corruens maximam potionis partem effudit. At Cæsar modicam, quæ supererat, fontibus ad mortem condemnatis hauriendam dari voluit, qui protinus interierunt. Medico e furca suspenso, Petrum de Vineis oculorum usu privatum, ac per plures Italiæ urbes circumductum Pisanis, qui capitali virum odio habebant, tradidit. Vindictam vero præveniens Petrus caput columnæ, ad quam astrictus erat, allisum fregit. „Per invidiam magnæ authoritatis suæ accusatum prodicionis esse,„ Malespinus Florentinus ejus temporis scriptor perhibet, qui prudentiam illius & facundiam laudat. Nos hac de re judicare possumus ex ejusdem epistolis, quas

Sæcul.XIII.  
A.C.1249.

c. 131.

C 5

magno

**Sæcul. XIII.** magno numero habemus plerasque Cæ-  
**A.C. 1249.** faris Friderici nomine scriptas, & corru-  
 ptum sui sæculi gustum indicantes.

*Petr. Vin.* Inter has sunt duæ Friderici ad S. Lu-  
*lib. 3. ep. 22.* dovicum peregre agentem: priorem co-  
 23. gnoscendi gratia, quid subesset rumori de  
 ejus classe per tempestatem dispersa, al-  
 teram cum commeatu ac equis misit, in  
 qua significat, se ipsum ad bellum sacrum  
 proficisci cupere, sed negotiis sibi a Papa  
 creatis distineri. Mente Majo hujus an-  
 ni 1249 Henricus Friderici filius spurius  
 Sardiniaæ Rex in Bononienses movens  
 per insidias captus, & in carcerem con-  
 jectus est, ubi eum ad mortem usque con-  
 temptis Friderici minis asservarunt. Sub  
 idem tempus alius e filiis ejus haud le-  
 gitimis in Apulia supremum vitæ diem  
 egit: atque hi casus Petri de Vineis pro-  
 ditioni juncti acerbo illum dolore affece-  
 runt. Denique ipse morbo, quem voca-  
 bant ignem sacrum, correptus, & arro-  
 gantes spiritus tot adversis rebus fractos  
 sentiens, æquas pacis conditiones Papæ  
 obtulit. At iste recusando multos viros  
 nobiles sibi infensos, Friderico faventes  
 reddidit.

*M. Par.*  
 p. 665.  
*Malisp.*  
 c. 140.

*Petr. Vin.*  
*lib. 2. ep. 34.*  
*M. P.*

## §. XVI.

*S. Ludovicus Pelusii.*

*Gesta. Du-* **R**ex S. Ludovicus, postquam Ægyptum  
*chesne. p. 353* petere, ac Pelusium oppugnare sta-  
 tuerat,

tuerat, in Cypri portu Limeffonico die Ascensionis Domini 13 Maji an. 1249 exercitu classem conscendere juffo per tempus aliquod contrariis ventis retardatus die Veneris post festum SS. Trinitatis 4 Junii ante Pelusium advenit. Quo viso Rex Proceres omnes ad se congregatos his animabat verbis: Amici mei! insuperabiles erimus, si nos charitas ita conjungat, ut separari non possimus. Divinae providentiæ opus est, quod inopinato huc adveniamus. Naves appellamus strenue, quantiscunque conatibus nobis obsistant hostes! Nec me spectate! Vos Rex ac Ecclesia estis. Unicus homo sum, cui sicut alii vitam Deus, cum volet, flatu auferet. Quilibet eventus nobis est favorabilis. Si occumbimus, Martyres sumus. Si vincimus, Deo in gloriam, Franciæ totique urbi Christiano in augmentum nominis cedet. Ineptia foret cogitare, a Deo omnia prævidente me frustra huc esse missum. Molitur magnum aliquid: pugnemus pro eo, & triumphabit pro nobis, non pro nostra sed sua gloria. Ludovicus tunc trigessimum quintum ætatis annum agebat. Erat staturæ ad dignitatem tam appositæ, ut humerorum tenuis supra cæteros emeretur. Præcipue in armis augustam corporis speciem habebat, mansuetam tamen & amicam faciem, capillos flavos,

Sæcul. XIII.

A. C. 1249.

*M. Par.  
additam.  
p. 1090.*

*Joinv. p. 43.*

vos,

**Sæcul. XIII.** vos, barbam rasam pro more tem-  
**A C. 1249.** poris.

Statuta est exscensio. Sed quia mare ad hoc littus profundum non est, relictis navibus altis triremes ac lembos intrare oportuit. Legatus cum cruce sub dio eandem cum Rege cymbam occupabat, quam præibat alia flammeum Galliae vexillum portans. Et cum ne plana quidem hæc ad navigia terræ admovenda satis aquarum esset, Christianus exercitus ac Rex omnium primus in mare defiluit totus armatus, & supra lumbos in aqua processit, quamvis hostes e littore ingentem telorum vim continenter injicerent accedentibus. Enimvero ad fugam compulsi ipsum noctu Pelusium deferebant; cujus vacuum in possessionem sequente die Dominica 6 Junii venerunt Christiani. Legatus, Hierosolymitanus Patriarcha, præsentis Episcopi, numerosus Clerus, Rex S. Ludovicus plurimique alii supplicantium ritu ac ordine nudis pedibus urbem intrabant spectante Cypri Rege, Procerumque & aliorum hominum numero. Initium Legatus duxit a reconciliatione delubri, quod abhinc annos triginta, cum Christiani cepissent urbem, SS. Virgini dedicatum fuerat. Hujus in honorem ille sacrificium divinum augustioribus ceremoniis peregit: atque Rex Pelusii, ut alias fecerat, Episcopum

*Sup. Lib. 78.*  
*S. 29.*

pum cum Canonicis instituere in ani-  
 mum induxit. Inter inundationem Nili, Sæcul.XIII.  
A. C. 1249.  
 quæ instabat, æstatem ibi agere decre-  
 vit, ac deinde Cairum primariam regni  
 urbem petere. Dum Pelusii morabatur, Baluz. Mi-  
scell.to.4.  
 Cathedralē ejus Ecclesiam magnis in-  
 tra extraque mœnia proventibus dotavit p.491.495.  
 ac prædiis beneficiariis pro decem Equi-  
 tibus. Tabulas publicas dedit mense  
 Novembri hujus anni. Sed tertio post  
 anno 1252 ethnicis in urbe dominantibus  
 Rex etiamnum in Palæstina commo-  
 rans Episcopo spoliato ducentarum li-  
 brarum Pariliensium pensionem suo ex æ-  
 rario exsolvendam in vitam attribuit.

§. XVII.

*Mors Raymundi ultimi Comitis  
Tolosani.*

Alphonsus Pictavii Comes Regis frater  
 in Francia relictus ad subsidium ei ad-  
 ducendum se interim parabat. Sub fe- Gesta.p.355  
 stum S. Joannis diem hoc anno 1249 iter  
 ingressus Aquas-mortuas petiit cum  
 Joanna conjuge sua, cujus pater Ray-  
 mundus Comes Tolosanus ibi eos invisit.  
 Postridie festum S. Bartholomæi 26 Au-  
 gusti Alphonsus & Joanna se commiserunt  
 pelago, & die Dominica ante festum SS.  
 Simonis & Judæ scilicet 24 Octobris Pe-  
 lusium attigere.

Ante

Sæcul. XIII.  
A.C. 1249.

Guil. Pod.  
Laur. c. 48.

Catcl. Comt.  
p. 373.

Ante aliquod tempus Comes Raymondus Agini octoginta circiter hæreticos ex iis, quos Credentes vocabant, confessos aut convictos comburi iusserat. Relictis Aquis - mortuis Ammilbani Ruteni in agro febrici correptus, usque ad vicinum Rutenæ pagum, cui Prisa nomen erat, processit, ubi æger decubuit. Durandus Episcopus Albiæ eum primus convenit, a quo Comes, postquam celebri Eremitæ fratri Guilielmo Albaronio sacram confessionem fecerat, cœlesti epulo communitus est inter luculenta demissi animi signa. Nam cum illud afferretur, e lecto quantumvis fractis viribus obviam iit usque ad dimidium domus, divinamque dapem in genua provolutus accepit. Adierunt eundem quatuor alii Episcopi, nimirum Tolosanus, Aginensis, Cadurcensis, ac Rutenensis, Optimates, Equites multi, & Tolosæ consules. Eo ut veniret, suadebant omnes: at ipse Ammilbanum deferri voluit, ibique testamentum condidit suum, quo apud Reginam Joannam matrem suam Fonte Ebraldi se sepeliri, & male parta omnia restitui iussit, variisque cœnobiis magna legavit bona. Per alias deinde litteras declaravit fixum sibi destinatumque in animo esse, si convalesceret, nuncupatum militiam transmarinam sequendi votum persolvere; si nequiret, hæres suus ad Terram sanctam

etiam quinquaginta Equites mitteret u-  
 nius anni spatio ibi militaturos. Præce-  
 pit insuper, ut pecuniæ, quas per colle-  
 ctam ex Ecclesiis partem vigesimam, ex  
 piis legatis & votorum redemptionibus  
 haberet, Papæ darentur. Hæ litteræ  
 scriptæ sunt 24 Septembris 1249. & Co-  
 mes Raymundus extrema unctione ac-  
 cepta naturæ cessit 27 ejusdem mensis  
 annos quinquaginta natus. In eo extin-  
 ctum est Tolosæ Comitum genus: & Co-  
 mitatus obtigit Regis fratri Alphonso Pi-  
 ctavorum Comiti, qui Joannam unicam  
 Raymundi filiam matrimonio sibi con-  
 junxerat. Interitus potentis hujus pro-  
 sapiæ videbatur esse pœna divina ob hæ-  
 resin ab ea protectam.

Sæcul. XIII.  
 A. C. 1249.

M. Par.  
 p. 668.

G. Pod.  
 Laur.

§. XVIII.

*Dies Massuræ.*

Postquam Pictavii Comes Pelusium ad-  
 venerat, Rex S. Ludovicus 20 No-  
 vembris 1249 inde abiit Cairum aggres-  
 surus, & contra Saracenorum exercitum  
 in loco, cui Massura nomen erat, castra  
 metatum movit. In via comperit Sulta-  
 num Ægyptium Melic-Salehum Cameli  
 filium e vita migrasse: id quod secunda  
 die Saabam an. 647. nempe 11 Novem-  
 bris 1249 contigerat. Sed illi mortem  
 Domini sui celabant, filium ejus Turan-  
 cham,

Ep. S. Lud.  
 Duchesne  
 p. 428.

M. S.

Sæcul. XIII. A. C. 1250. cham, qui in Diarbechia erat, expectan-  
tes. Interim regnum administrabant Se-  
jareldora Sultani vidua, & Emir Facar-  
reddin copiarum Præfectus. Galli die  
Martis ante Christi natalem 21 Decem-  
bris in conspectum Massuræ venerant:  
sed accedere nequibant ob canalem e Ni-  
lo ductum, ac duos exercitus separantem:  
hunc nostri fluvium Taneos (a loco sic  
olim dicto) accolæ Aschmoum appella-  
bant. Quia vadus non erat, Galli, ut  
eum trajicerent, struere aggerem cœpe-  
runt: at Saraceni fortiter obstantes eo-  
rum labores diruebant, & concremabant  
machinas.

Tandem, cum Baduinus quidam A-  
rabs Gallis vadum monstrasset, genialium  
dierum postremo 8 Febr. 1250 transmissio  
flumine obrutorum subito in castris ho-  
stium plurimos ipsumque Facardinum ne-  
carunt. Robertus Artesiæ Comes con-  
tra disertum Regis fratris sui imperium  
longius progressus Massuram mox inva-  
dere volebat. Cum Templariorum Equi-  
tum Magister prudentior ac usu rerum  
exercitator inhibere illum conaretur, ju-  
venis Princeps ira percitus, En proditio!  
ajebat, en seditiosus Templariorum &  
Hospitalariorum spiritus! Est sane, cur  
dicamus, nos cunctas ad Ortum plagas  
pridem fuisse subacturos, nisi existimati  
hi Religiosi per fraudes suas nos impe-  
diissent.

*M. Par.*  
*d683.*

diissent. Metuunt, ne dominationem Sæcul.XIII.  
 & opes amitterent suas, si hæc regio A.C.1250.  
 Christianis esset subdita. Ideo foedus  
 cum Saracenis habent: ideo cruce si-  
 gnatos produnt, ferroque ac veneno  
 perimi curant. Nonne Fridericus exper-  
 tus est eorum dolos? Magistri Templariorum  
 & Hospitaliorum his convitiis  
 lacessiti cum Artesiæ Comite Massuram,  
 quam apertam invenerant, intrarunt. At  
 Saraceni conspecta eorum paucitate re-  
 ceptis animis hoc in loco circumventos  
 ita exceperunt, ut plerique caderent, &  
 inter alios Artesiæ Comes cum multis  
 militarium Ordinum Equitibus.

## §. XIX.

*S. Ludovicus capitur.*

Post aliquot dies novus Sultanus Massu-  
 ram advenit. Vocabatur Elmelic M. S.  
 Moadam Turancha Gajateddin filius Sa-  
 lehi. Tunc promulgato parentis sui obi-  
 tu per totam Ægyptum agnitus, sua præ-  
 sentia Musulmannis animos addidit. Con-  
 tra Christianorum exercitus per morbos Joinv. p. 57  
 & annonæ penuriam indies imminueba-  
 tur, quam abstinencia, cum verum ef-  
 set jejunium, augebat, ita, ut in castris  
 suis vitam tolerando impares Pelusium  
 redirent. In via die Martis post octavam Il. p. 60.  
 Paschatis 5. Aprilis Saracenis omni vi-  
 rium

*Hist. Ecclesiast. Tom. XXI.*

D rium

**Sæcul. XIII.**  
**A. C. 1250.**

*p. 78.*

*p. 61.*

*Sanut. p.*  
*219.*

*Guil.*  
*Guiart. p.*  
*141.*

*Guil. Carnut Duches-*  
*ne p. 468.*

rium conatu se invadentibus, quantumvis pauci essent ac debiles, strenue obfistebant. Guido de Castro Porciani Episcopus Sueffionensis Martyrii gloriam reditui in patriam præferens, medios in hostes se immisit mox interemptus. Rex S. Ludovicus æger, ut cæteri, parvo equo infidebat inermis, & e cunctis equitibus suis ei solus Godefridus Serginius restabat, qui diu defensum in oppido Charmasac a longiore itinere inhiberi curavit: ubi ille tam male se habuit, ut eo ipso die moriturus esse crederetur. Ingressis illuc hostibus manus dedit cum Gallis præsentibus. Idem postea egerunt duo ejus fratres Alphonsus Pictavii & Carolus Andegaviæ Comites, ac denique quotquot de exercitu supererant: nam numerus cæforum erat maximus. Legatus per Nilum se Pelusium contulit, ac Reginæ hanc nunciavit cladem.

Regem S. Ludovicum Massuram ductum & in ferrea coniectum vincula Arabes per idoneum potum sanitati celeriter restituerunt. Tres menses in carcere detentus Divinum quotidie officium ex more Parisiensi recitabat cum duobus Fratribus Prædicatoribus, quorum alter Sacerdos & linguæ Arabicæ peritus, alter nomine Guilielmus Carnutensis ejus Clericus erat. Officium tam diei quam SS. Virginis, & sacrum integrum sed sine

ne

ne consecratione dicebant, omnia horis Sæcul.XIII.  
 convenientibus, quin etiam præsentibus A.C.1250.  
 Saracenis Regis custodibus. Nam ca-  
 pto suus uterque liber scilicet precum ho-  
 rariarum & Liturgiæ sacrae veluti donum  
 allatus fuerat. Admirabantur illi incom-  
 moda carceris & ludibria sufferentis pa-  
 tientiam, æqualem animum, & constan-  
 tiam recusantis ea, quæ iniqua reputa-  
 bat, dicebantque: Nos te spectamus  
 tanquam captivum & mancipium no-  
 strum; & tu vinculis constrictus nos ut  
 captivos tractas. Duces eorum affirma-  
 bant, illum esse hominem ingentis spiri-  
 tus præ omnibus Christianis, quos vidif-  
 sent unquam. Joinv. p.73.

§. XX.

*Pactio pro libertate S. Ludovici.*

Aliquot post diebus, quam Rex captus Epist. Du-  
 fuerat, Sultanus inducias ei obtulit, chesne p.429.  
 inter minas & verba aspera vehementer 430.  
 exigens, ut ipsi mox Pelusium redderet,  
 & compensaret belli sumptus a die, quo  
 Christiani urbem illam occupassent. Rex Joinv. p.66.  
 gnarus, Pelusium defendi non posse, in 67. 68.  
 id consensit. Sed quod spectabat ad lo-  
 ca, quæ Christiani etiamnum in Palæ-  
 stina tenebant, & quorum restitutio iti-  
 dem petebatur, reposuit, eam ex se non  
 pendere, cum illa loca diversos ad Proce-

Sæcul. XIII.  
A. C. 1250.

*Duchesne p.*  
*404.*

*Joinv.*

res, vel ad Ordinum militarium Equites pertinerent. Sultanus ei minitabatur quoddam tormenti genus, quo homini duo inter ligna vincto crudeliter ossa omnia frangebantur. Ludovicus has minas jacentibus solum respondit, se captivum esse, ac de se, quod vellent, fieri posse. Edoctus, multos Proceres captivos redemptionem suam pacisci, ac sollicitus de iis, qui tantum pecuniæ pendendo pares non forent, interdictis peculiaribus his pactis, se pro cunctis soluturum promisit, ac reapse solvit.

Sultanus se comminationibus nihil agere videns, ex eo quæri voluit, quantum pecuniæ summam præter Pelusii restitutionem daturus esset? Ille, si Sultanus æquum redemptionis pretium statueret, se Reginam id pendere jussurum dixit. Sultanus millies mille aureos Byzantinos petiit, qui tunc temporis quingentes mille Gallicæ monetæ libras valebant, & hodie dum argenti selibra tantidem æstimatur, quanti triginta libræ Francicæ, quater millies mille libras valerent. Rex se libenter quingenta librarum millia pro suorum liberatione solvere, ac Pelusium, quatenus penes se sit, reddere velle asseruit: at amplioris se dignitatis esse, quam ut pecuniis redimi posset. Quo comperto Sultanus, Mea fide, ajebat, Gallus est magnanimus & libe-

liberalis, cum de tanta summa nihil de- Sæcul. XIII.  
traxerit. Remitto illi centies mille libras A.C. 1250.  
de redemptionis pretio: non nisi qua-  
dringenties mille dabit. Atque hoc ei  
dicite!

Igitur transactum est his conditioni- Duchesne p.  
bus. Ut inter has duas nationes per de- 430.  
cem annos essent induciæ. Ut Sultanus  
Regem Ludovicum & omnes Christianos  
ab ipsius adventu in Ægyptum, immo  
etiam ab induciis Fridericum Cæsarem  
inter ac Sultanum Camelum avum suum  
initis captos in libertatem asfereret. Ut  
Christiani de terris, earumque appendi-  
cibus, quas in Regno Hierosolymitano  
sub adventum Regis possiderent, nihil  
amitterent, & tranquilla pace fruerentur.  
Ut Ludovicus Sultano Pelusium restitue-  
ret, & tam pro damnis præstandis, quam  
pro liberandis captivis octingenties mille  
aureos Byzantinos solveret. Ut omnes  
Saracenos a Christianis in Ægypto post  
adventum illuc suum, & in Regno Hie-  
rosolymitano post factas cum Friderico  
inducias captos dimitteret liberos. Ut  
Sultanus Regi cæterisque Christianis o-  
mnibus utensilia Pelusii relicta conserva-  
ret, ægrotisque ac ob res suas ibi rema-  
nentibus securitatem pariter ac liberta-  
tem daret.

His pactionibus ita confectis & jure-  
jurando utrinque confirmatis Sultanus

Sæcul. XIII. Moadam cum copiis suis Pelusium versus  
 A.C. 1250 processit, urbis possessionem aditurus.  
 At cum Pharescuri esset, præcipui Duces  
*Abulfar. p.* 324. offensi, quod ipsorum consilia non seque-  
*Joinv. p.* 69. retur, & sine ipsis ita pactus fuisset, a  
 70. prandio exeuntem necarunt. Post suum  
*Fragm. Du-* adventum in Ægyptum duobus tantum  
*chesne p.* 433. mensibus & aliquot diebus imperium gef-  
 erat: & in eo interiit genus Sultanorum  
 Ajubitarum seu posterorum Jobi, quo-  
 rum primus fuerat Saladinus & qui octo-  
 ginta duos annos regnaverant. Tunc  
 imperitare cæperunt Mammeluchi. E-  
 rant mancipia natione Turcæ, quos nu-  
 mero mille cum Melic - Salehus a Tarta-  
 ris emisset, educarique ac erudiri ad mi-  
 litiam curasset, quosdam eorum ad exi-  
 mios honores evexerat. Primus ex iis  
 Sultanus fuit Azeddinus sive Moaz Ibec  
 Turcoman.

Extincto Moadamo Duces quampri-  
 mum ad S. Ludovici tentorium venire  
 furiosis vultibus, & cruentis manibus cum  
 fumantibus gladiis. Unus eorum ad Re-  
 gem, Quid dabis mihi, ajebat, quod ini-  
 micum occiderim tuum, qui te peremis-  
*Duch. p.* 404. set, si longiorem duxisset vitam? Rege  
 nihil reponente ille nudato ense quasi  
 eum percussurus addebat: In Equitum  
 Ordinem me coopta! vel te interficio.  
 Rex minime turbatus, se dignitatem E-  
 questreth ethnico nunquam delaturum  
 esse

esse respondit. Resedit denique horum Sæcul. XIII:  
 omnium bilis: immo submissis oculis ca- A. C. 1250.  
 pitibusque ac transversis manibus Regem  
 suo modo salutantes, Domine! inque- p. 469.  
 bant, nihil metue! securus es. Nec  
 mirare id, quod egimus! nam necesse  
 fuit. Quod a te pendet, ex pacto fac ce-  
 leriter: & mox liber eris.

At intervenit difficultas de juramen- p. 404.  
 tis ad pactiones firmandas. Duces jura- Joiv. 72.  
 bant, se, nisi promissis starent, velle in-  
 famia coopertos esse instar illius, qui  
 Meccam nudo capite peregrinaretur; qui  
 uxorem suam repudiatam revocaret; vel  
 qui porcina carne vesceretur. Rex his  
 juramentis contentus erat: cum quidam  
 Doctor nomine Nicolaus Acconensis de  
 illorum moribus perbene edoctus affir-  
 masset, eos haud posse jurare expressius.  
 Postea Duces de consilio quorundam Re-  
 ligionis desertorum duas jurandi formu-  
 las Regi proponebant. Per priorem con-  
 sentiret, ut a Deo & societate sanctorum  
 arceretur, si promissa falleret. Per alte-  
 ram, ut perjurus haberetur, velut ille,  
 qui Deum ac baptismum abnegaret, &  
 qui crucem per contemptum conspueret,  
 ac pedibus calcaret. Priorem pronun-  
 ciabat Ludovicus, alteram recusabat.  
 Tum irati Duces Nicolaum Acconensem  
 ei dicere jusserunt, sibi non esse satisfa-  
 ctum, quia nollet jurare, quod peterent,

Sæcul. XIII. cum ipsi jurassent, quod voluisset. Ad-  
 A.C. 1250. didit Nicolaus: certum est, nisi jures, te  
 tuosque omnes obruncatum iri. Facient,  
 quod volent, aiebat Rex: sed malo bo-  
 nus Christianus mori, quam in Dei ac  
 Cælitum indignationem incurrere.

p. 73.

Sup. lib. 71.  
 §. 39.

E Ducibus deinde ingressis unus di-  
 cebat, Patriarcham Hierosolymitanum  
 esse, qui hoc Regi consilium daret: se-  
 que, si sibi fides haberetur, demetendo  
 Patriarchæ caput, & ad Regis genua  
 projiciendo facturum, ut is juraret. Ille  
 Præsul erat Robertus antea Episcopus  
 Nannetensis, & a decem annis Patriar-  
 cha Hierosolymitanus. Pelusio cum lit-  
 teris fidei publicæ testibus venerat Re-  
 gem in facienda pactione adjuturus, fuit-  
 que octoginta annorum senex. Duces  
 correptum in præsentia Regis alligabant  
 palo manibus post tergum tam arcte vin-  
 ctis, ut brevi non minus crassæ, quam ca-  
 put, fierent, & sanguis e pluribus earum ri-  
 mis prodiret. Ah Domine! clamabat, jura  
 fidenter! noxam in me suscipio: nam  
 nulla est, cum promissa servare velis.  
 Nescio, adjungit Jonavillius, an jusju-  
 randum Rex dederit. Sed denique Du-  
 ces contenti erant. Conventum est, ut  
 Pelusium redderetur postridie Ascensio-  
 nem Domini, die veneris 6. Maji, eo-  
 dem

demque Rex atque omnes captivi libertatem reciperent.

Sæcul.XIII.  
A.C.1250.

§. XXI.

*S. Ludovicus liberatus.*

Rex pacta bona fide præstitit: reddidit destinato die Pelusium, & prima solutione ducenties mille libras pependit. Cum triginta librarum millia complendæ summæ deessent, a Templi Equite beneficiario mutua petebat. Qui mox repulsam dedit, se salvo voto suo de pecunia Ordinis statuere nihil posse causatus. At Jonavillæ Dominus jussu Regis ascia efringendam sibi arcam censuit, quam ille noluit aperire, ac necessariam inde prompsit pecuniam. Rex dein edoctus, Saracenos in numero errantes decem librarum millia neglexisse, serio succensens, ante abitum suum ea solvi voluit. Ita cum duobus fratribus suis Alphonso & Carolo, multisque aliis Proceribus Equitibusque ab Ægypto discessit, relinquens viros, qui captivos cæteros averherent, ac reliquam ducenties mille librarum summam penderent.

*Joinv. p.87.  
Duch.p.420.*

Ad portum Ptolemaidis delatum Regem urbis incolæ ad littus usque instructo ordine progressi magno gaudio exceperunt. Inde naves ac Legatos in Ægyptum misit, qui captivos, machinas,

*Joinv. p.80.*

D 5 ten-

*Sæcul. XIII.* tentoria, equos, arma, & omnia ibi re-  
*A.C. 1250.* licta adveherent. Duces his Legatis  
*Duch. p. 431.* Caira diu detentis bonam spem faciebant:  
*Joinv. p. 74.* sed de pluribus quam duodecies mille  
 captivis quadringentos tantum, & de  
 cunctis utensilibus nihil restituerunt. Post  
 ingressum Pelusii jugulatis ægris omni-  
 bus omnes machinas, & cætera, quæ  
 conservare debebant, combusserant. E  
 captivis selegerant ætate florentes, &  
 corporis specie præstantes homines, at-  
 que admota collo ensis acie ad profiten-  
 dam sectam Mahometanam adegerant:  
 multi ejurabant fidem; reliqui subibant  
 Martyrium.

Ludovicus in Franciam reverti sta-  
 tuerat, captivos libertati redditum iri,  
 & transmarina Christianorum bona per  
 totum tempus induciarum tuta fore con-  
 fidens. Sed mutare propositum per ma-  
 lam Ducum fidem cogebatur. Ab his  
 se delusum perspicue videns, Galliæ Pro-  
 ceres, trium Ordinum militarium Magi-  
 stros, ac Regni Hierosolymitani Optima-  
*Joinv. p. 81.* tes in consilium adhibuit. Plerique af-  
*82.* firmabant, si tunc rediret, summum fo-  
 re periculum, ne Terra sancta in tam mi-  
 serabili rerum suarum statu tota amit-  
 teretur, & Christiani captivi nunquam  
 libertatem reciperent suam. Contra, si  
 maneret, liberari eos, ut spes esset, ac  
 regni loca conservari posse, præcipue si  
 spe-

spektaretur discordia inter Sultanos Ale-  
 pium ac Ægyptium. His rationibus ces-  
 sit Rex, ac reditum in Franciam differre  
 statuit: sed duos fratres suos Alphonsum  
 Pictavii, & Carolum Andegaviæ Comi-  
 tes illuc remisit matri suæ regnoque fu-  
 turos solatio. Sic ipse testatus est per  
 litteras Ptolemaide mense Augusto 1250.  
 ad omnes sibi subditos scriptas, quas fi-  
 niit eos hortando, ut protinus Terræ  
 sanctæ suppetias irent.

Sæcul. XIII.  
 A. C. 1250.

B. C. p. 432.

§. XXII.

*Arsacidarum legatio ad S. Ludovi-  
 cum.*

Commorantem Ptolemaide Regem con-  
 venerunt Legati Arsacidarum Prin-  
 cipis, quem Galli Senem montis appel-  
 labant. Qualis hic Princeps, ejusque  
 populus esset, dudum Rex noverat.  
 Anno 1236. falso rumore sparso, Regem  
 Franciæ sacram iniisse militiam, ac peri-  
 culosissimum Musulmannorum hostem es-  
 se, Arsacidarum Princeps eorum duos  
 in Galliam misit Regem necaturos. Sed  
 illum nuncium fuisse mendacem, ac Re-  
 gis fratres ejus cædem ulcisci posse edo-  
 ctus; e suis alios duos in Franciam mi-  
 sit, qui monerent Regem, ut a prioribus  
 sibi caveret. Posterius missi prius adve-  
 nerant: & Rex horum consilio paren-  
 dum

Joinv. p. 85.  
 Duch to. 5.

p. 332.

Nang. Chr.  
 An. 1236.

Lacheze. lib.  
 IV. n. 10.

Sæcul. XIII. dum ratus, custodes ære rudi armatos  
A.C. 1250. sibi adhibuit. Idem Arabes in priores  
 tam sedulo inquisiere, ut inventos ad  
 Regem adducerent. Qui cum eos ma-  
 gno excepisset gaudio, dona & cunctis  
 quatuor dedit, & ipsorum Domino pre-  
 tiosissima per eos misit in signum pacis &  
 amicitiae. Hoc tunc in Gallia factum.

p. 86.

Sed anno 1250. ejusdem gentis Nun-  
 cios Ptolemaidem delatos Rex quodam  
 mane post Divinum sacrificium ad se ad-  
 misit, sedereque ac commissa eloqui jus-  
 sit. Emir quidam inter eos Regem, an  
 ipserum Dominum nosset, rogabat. Rex,  
 se de illo aliquid audiisse reposuit. Mi-  
 ror itaque, subdebat Emir, quod ejus  
 amicitiam tibi per munera non parave-  
 ris, ut Imperator Germaniae, Rex Hun-  
 garorum, Sultanus Ægyptius, plures-  
 que alii Principes quotannis faciunt, o-  
 ptime gnari, se non victuros diutius,  
 quam illi placeret. Te proin monet, ut  
 se donis afficias, vel saltem pensione a  
 se Magistris Ordinum Templarii & Ho-  
 spitalarii exsolvenda liberes. Cum Rex  
 hos Magistros illis respondere jussisset,  
 Vester Dominus, inquiebant, tam est au-  
 dax, ut Regi Franciae talia dici curet?  
 Ni cogitaremus vos Legatos esse, in ma-  
 re vos projiceremus. Redite igitur ad  
 vestrum Principem, & intra quindecim  
 dies

dies revenite cum litteris, quæ bonam Regis gratiam illi & vobis concilient!

Sæcul. XIII.

A.C. 1250.

Intra designatum tempus reduces lineam Regi subuculam, annulumque aureum, cui ipsorum Domini nomen incisum erat, attulere, ut indicarent, hunc illi conjungi cupere, sicut indusium corpori, & annulus digito jungeretur. Apportarunt etiam latrunculos crySTALLINOS electo auroque ornatos, & odoribus imbutos. Rex eos remisit cum muneribus ipsorum Domino deferendis scilicet cum multis togis coccineis, poculis aureis, & vasis argenteis. Adjunxit illis Religiosum quendam fratrem Ivonem Britonem Arabicæ linguæ peritum, quo teste hi Arfacidæ (Baduinos vocat) sectam Ali prosequerentur, ut memoravi superius; & tam impavidi erant hoc ex capite, quod fatalem necessitatem ac metempsychosin crederent, animamque illius, qui jussu Domini sui necem subiret, intrare corpus, in quo felicior esset. Eorum Princeps animam Abelis in corpus Noë primum, dein Abrahæ, tum S. Petri migrasse, & hunc Sanctum etiamnum vivere dicebat.

p. 87\*

lib. 72. §. 73.

§. XXIII.

*Episcopatus Sueciæ.*

Interim Papæ Innocentio Archiepiscopus Upsaliensis, Episcopi ei obnoxii, &

Sæcul. XIII. & universus Sueciæ Clerus per litteras  
 A. C. 1250. significaverant, hoc in Regno alieni ju-  
 ris usurpationem quandam inveterasse,  
 eo quod Episcopi non nisi per profanam  
 Regis ac Procerum potestatem & per po-  
 puli clamores instituerentur. Quamob-  
 rem Episcopus Sabinensis, cum ibi Le-  
 gatum ageret, præceperat, ut in Eccle-  
 siis Cathedralibus, quæ nondum tene-  
 rent Collegium, saltem quinque Canoni-  
 ci essent, quorum unus quadam dignita-  
 te excelleret, & qui sede vacante no-  
 vum eligerent Caput. Hanc Legati san-  
 ctionem Papa ratam habuit, vetuitque,  
 nequis Episcopus nisi per electionem Col-  
 legii fieret, ac nequis homo profanus  
 quidquam contra moveret, aut fidelita-  
 tis juramentum, seu clientelæ professio-  
 nem ab Episcopis Sueciæ exigeret, cum  
 se a Rege aliisque Dominis nec prædia  
 beneficiaria, nec illustria dona habere  
 dicerent. Diploma datum est Lugduni 7,  
 §. 7. Decembris An. 1250. Legatus, cujus  
 Ital. sac. to. meminit, erat Guilielmus primum Epi-  
 1. p. 195. scopus Mutinensis per viginti quinque  
 annos tam clarus ex laboribus suis in Ec-  
 M. Par. p. clesiis Septentrionalibus. A Papa Inno-  
 705. centio IV. An. 1244. Cardinalis Episco-  
 pus Sabinensis creatus, Lugduni ultimo  
 Martii An. 1251. vitam cum morte com-  
 mutavit.

## §. XXIV.

sæcul XIII.  
A.C. 1250.*Obitus Imperatoris Friderici II.*

Imperator Fridericus hunc annum 1250. *Chr. Matth. Spinel. ap. Papebr. Cona. p. 41.*  
 transegit in Apulia, quo septendecim  
 centurias Saracenorum e Barbaria vocavit, & postea populo tributum in singula capita gravius, quam auditum unquam fuerat, imperavit: quod cum non tantam pecuniæ vim, quantam cupiebat, inferret ærario, curavit edici, ut festo die S. Andreae solveretur, & iis, qui morem non gererent, triremium poenas intentari voluit. At sub idem tempus morbo in periculum vitæ adductus, *ap. Rayn. 1250. n. 33. Matth. Par. p. 702.*  
 testamento hæredem instituit Conradum filium suum, ac centies mille uncias auri in recuperandam Terram sanctam insumere, cunctaque jura inique a se possessa Ecclesiæ Romanæ reddere iussit, si bonam se matrem illi exhiberet. Regi Friderico nepoti suo Austriam cum Suevia, & Henrico filio suo ex Isabella Anglica suscepto Siciliam in hæreditatem tribuit, Comitatum Catanensem reservans nepoti suo Conradino, qui nuperime Conrado natus erat. Tarentinum vero principatum Manfredi filio suo spurio contulerat. In locum sepulturæ sibi Panormum elegit, vel potius Montem Regalem, ubi Reges Normannici humani

ti

*Sæcul. XIII.* ti erant. Etiam per absolutionem ab Ar-  
*A. C. 1247.* chiepiscopo Panormitano sibi datam ad  
 mortem se præparavit.

*Alb. Stad.* Nono Decembris credebatur extra  
*Chr.* periculum esse, atque duodecima hora  
 nocturna se mane surrecturum dicebat.

*Spinel.*

*Ricord. Ma-*  
*les. c. 144.*

Verum illo die S. Luciae sacro 13. Dec.  
 mortuus cernebatur. Dissipatus deinde  
 rumor est, Manfredum per pulvinar pa-  
 tris faciem premendo ei spiritum inter-  
 clusisse, ut ejusdem thesauro sane magno  
 & Sicilia potiretur. Fridericus quinquaginta  
 duos annos natus erat, quorum  
 quinquaginta & uno Rex Siciliae, trigin-  
 ta octo Rex Hierosolymæ, triginta tribus  
 Imperator fuerat. Obiit Farentini, un-  
 de cadaver Tarentum transferebatur, ut  
 mitteretur in Siciliam. Portabatur in le-  
 ctica serico rubri coloris panno contacta,  
 quam ducenti Saraceni pedites viven-  
 tis Principis custodes, ac sex turmæ ar-  
 matorum equitum circumdabant: seque-  
 bantur aliquot Proceres in lugubri vesti-  
 tu, & urbium Procuratores. Mons Re-  
 galis illud Manfredi curis magnifice se-  
 peliri vidit.

*Anonym. to.* Hunc, quamvis spurius esset, præ  
*9. Ughel. p.* cunctis filiis suis amaverat Fridericus:  
*754.* hunc educare in aula sua & erudire in  
 deliciis habuerat. Et vero hic juvenis  
 Princeps corporis specie, ingenio, comi-  
 tate, ac ingenita suavitate excellebat.

Octo-

Octodecim tantum ætatis annos moriente Patre numerabat: tam bene tamen se gessit, ut eam nulla magni momenti mutatio sequeretur. Conservavit ejus ministros & consiliarios; moxque Regi Conrado in Germania agenti de Imperatoris obitu scripsit, inter alia dicens: Morti propinquus in testamento suo Romanam Ecclesiam humiliter agnovit matrem suam tanquam fidei catholicæ studiosus, & injurias contra intentionem suam Ecclesiis forsitan illatas plane compensari voluit. Manfredus hortabatur Conradum, ut protinus veniret subditorum omnium vota impleturus. Interea cognito Patris obitu Neapolim versus iter faciens, cum Montem Fusculum attigisset, solum vigesies mille passibus inde distantem, comperit, Papam Innocentium Neapolim & ad omnes Regni urbes misisse, qui vetaret, ne cuiquam alii quam summo Pontifici obedientiam præstarent, eo quod Regnum ad Apostolicam sedem devolutum esset. Itaque Manfredus Neapolim misit Comitem Casertium, incolarum sensa cogniturum. Cui, postquam 7 Jan. advenerat, haud obscure dicebant, se interdicti & anathematis, quo tamdiu multati essent, pertæsos statuisse nemini parere, quem Papa faustas inter preces non inaugurasset. Comes inde Capuam delatus idem responsum audiit.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1251.

Baluz. I.  
Miscell.  
p. 476.

M. Spin.

*Hist. Eccles. Tom. XXI. E §. XXV.*

Sæcul. XIII.  
A. C. 1251.

§. XXV.

*Epistolæ Papæ de Siculo Regno  
soliciti.*

ap. Rayn.  
1251. n. 2.

n. 3.

n. 5.

Papa per litteras Cardinalis Petri Capochii Legati sui de Friderici obitu edoctus, illi hunc in modum scripsit: Primum reverti Romam cogitavimus, cujus desiderium nos & fratres nostros Cardinales jam diu tenet: postea vero perpendimus incertum esse, totane Sicilia unanimes consensu ad sinum Ecclesiæ reditura sit, an aliqui se huic sint opposituri? Proinde hac de re protinus certiores per te fieri volumus, ut sciamus, an numerosæ nos copiæ comitari debeant? Dabat 25 Jan. 1251. Simul ad Præsules, Proceresque ac universam Siciliae gentem litteras misit, quas inchoat invitando Cœlum ac Terram, ut gaudeant decessisse hostem Ecclesiæ, qui Siculorum libertatem tamdiu oppressisset. Gratulatur eis hanc redditam, stimulosque addit, ut ad gremium matris suæ se recipiant, cujus sub tutela pacem illis & securitatem plenam pollicetur. Seorsum scripsit ad Bernardum Archiepiscopum Panormitanum & antea Bariensem, grandævum Præsulem Friderico addictissimum, cui ægro absolutionem dederat, & mortuo supremum persolverat honorem. Tractans eum

eum velut inveteratis criminibus induratum hominem exhortatur, ut gravissimam Ecclesiæ totius offensionem compenset; ut noxarum pœnitentiam agat; ut earum fordes eluat cæteros ad bonas partes reducendo; ut se Archiepiscopo Bariensi jungat hanc ob causam in Regnum missio. Is erat Marinus Filangieri, qui post Andream Berardi successorem ad sedem Bariensem evectus fuerat, & qui hoc anno 1251 Pontificatus sui trigelimo tertio extremum vitæ diem morte confecit.

Sæcul. XIII.

A.C. 1251.

Ughell. to. 7.

p. 885.

## §. XXVI.

*Papa epistolas mittit in Germaniam.*

Eodem tempore Papa Germanos ab obedientia Conrado II. præstanda avertere conabatur. Hoc fine Jacobum Pantaleonem Archidiaconum Leodiensem jussit cum Theodorico Equitum Borussiæ Magistro Germanicæ linguæ gnaro Imperii Duces, Principesque limitibus tuendis præfectos seu Marchiones, & Comites adire, eoque adducere, ut Ecclesiæ mandata facerent, atque in clientelam Guilielmi Batavi se conferrent. Scribat 18 Febr. Etiam Fratri cuidam Prædicatori injunxit, ut adversus Conradum expeditionem sacram ediceret cum pœ-

VIII. ep. 21.

ap. Rayn. n. 7

n. II.

Sæcul. XII.  
A.C. 1251. narum condonatione eadem, quæ Terram sanctam petentibus facta esset, & cum indulgentia quadraginta dierum pro iis, qui concionibus ipsius assisterent. Et quia Suevia vetus Conradi patrimonium erat, hujus regionis populo scripsit in hanc sententiam: Scitote, Friderici profapiam, cum nobis merito sit suspecta de imitanda patris sui perfidia, & avorum suorum tyrannide, ex consensu Apostolicæ Sedis nunquam Imperium vel principatum Sueviæ obtenturam esse.

n. 9.

*Alb. Stad.*

*Mat. Par.*  
*p. 698.*

Denique Papa ad Guilielmum Bataviæ Comitem litteras dedit, quibus eum animabat ad persequenda jura ipsius, nec audiendas propositiones contrarias; Comitisque vires aucturus procurabat ejus conjugium cum filia Ottonis Ducis Brunsvicensis. Revera Guilielmo maxime necessarium erat fulcrum. Imperio temere accepto, in comitatum Bataviæ, quem ipsum fratri suo cesserat, se recipere, atque alienis vivere sumptibus cogebatur. Sed & partes ejus cunctis Papæ conatibus irritis magis magisque in contemptum per Imperium totum veniebant. Primum Papa in Romanorum Regem eligi curaverat Provinciam Thuringiæ Comitem, cui post probrosam suorum cladem mœror vitam abstulit. Comes Geldriæ, Dux Brabantiae, & Comes Cornubiæ hanc dignitatem renuerunt. De-  
mum

*Sup. lib. 82.*  
*§. 36. §. 52.*

mum eam Papa Haquino Norvegiæ Re- Sæcul. XIII.  
 gi obtulit, quem hoc fine in Regem inau- A.C. 1251.  
 gurari jufferat. At hic Princeps se sem-  
 per hostes Ecclesiæ, sed non omnes Pa-  
 pæ inimicos impugnaturum publice de-  
 claravit. Sic ad me ipsum dixit, ait  
 Matthæus Paris, & quidem gravi cum  
 juramento.

## §. XXVII.

*Christiano Archiepiscopo Moguntino  
suum abrogatur munus.*

Sifridus seu Sigefridus Archiepiscopus  
 Moguntinus ab hominibus demigra-  
 verat 9 Martii an. 1249. Quidam scri-  
 ptor coævus eum laudat tanquam bella-  
 torem egregium, addens, eum nec spiri-  
 tuales functiones suas, nec profanæ di-  
 tionis suæ curam neglexisse. Post ejus Ap. Serrav.  
 obitum Canonici Moguntini postulave- p. 839. 840.  
 runt Conradum Archiepiscopum Colo-  
 niensem: sed Papa consentire noluit. I-  
 gitur Christianum Ecclesiæ Moguntinæ  
 Præpositum elegerunt, a teneris ungui-  
 culis Moguntinæ educatum. Legato, qui  
 aderat, electionem ratam habente, die  
 S. Petro sacra 29 Junii an. 1249 a Rege  
 Guilielmo confirmatus in jure tempora-  
 lium, eodemque anno consecratus Pal-  
 lium obtinuit. Omnes frugi homines  
 eum sic promotum esse gaudebant, pa-  
 cem

Sæcul. XIII. A.C. 1251. cem procuraturum sperantes, præcipue quia in arte militari exercitatus non esset. Sed hoc ipsum ei nocuit. Etenim apud Papam accusatus fuit, quod esset Ecclesiæ prorsus inutilis, & a Rege vocatus ad expeditiones bellicas invitus accederet. Verum erat: & ratio Christiani fuit, quod incendia fierent, cæderentur vineæ, messes vitiarentur. Atqui hæ vastationes, aiebat, Episcopum haud decent. Faciam vero, quidquid gladio spirituali confici potest. Cumque stimularetur, ut vestigiis antecessorum insisteret, respondit: Scriptum est: *Mitte gladium tuum in vaginam!*

p. 841.

Joan. 18.  
v. 11.Gall. Chro.  
to. 1. p. 279.

Hic agendi modus eum reddidit exorsum Regi Guilielmo multisque Laicis; qui a Papa impetrarunt, ut dignitate sua spoliaretur. Hoc decretum executioni dedit Legatus Hugo a S. Charo vel a S. Theodorico Ordinis Prædicatorum Cardinalis Presbyter Tit. S. Sabinæ, adjunctumque sibi habebat Henricum Segusianum Archiepiscopum Embrodunensem, antea Episcopum Segesteronensem, ac postea Cardinalem Episcopum Ostiensem. Christianus libenter acquiescens de sede Moguntina decessit an. 1251. Legatus ei succedere voluit Gerardum hominem juvenem Comitis Conradi cognomine Ferocis filium, qui solum Hypodiaconus erat. Hunc ut Legatus eligeret, ei persuasit

suasit Archiepiscopus Embrodunensis, qui <sup>Sæcul. XIII.</sup>  
 eo sine ducentas argenti selibras clam ac- A C. 1251.  
 ceperat. Hinc apparet, quantum mu-  
 tata sit disciplina: nam olim honoris  
 gradu dejectus fuisset Episcopus, qui por-  
 tasset arma. Fuit hoc inter alia Salonio <sup>Sup. lib. 34.</sup>  
 & Sagittario exprobratum an. 579. At- <sup>o. 38.</sup>  
 que ista observatio tanto gravioris est pon-  
 deris, quod Hugo a S. Charo & Hen-  
 ricus Segusianus inter celeberrimos sæ-  
 culi sui Doctores fuerint, Hugo propter  
 expositas sacras Litteras, Henricus ob Ca-  
 nonici Juris peritiam.

## §. XXVIII.

*Papa Lugduno abit.*

**R**egina Blanca, cum Papam reditum <sup>ap. Rayn.</sup>  
 in Italiam adornare sciret, per Nun- <sup>n. 19.</sup>  
 cium ei regnum suum, & quidquid ex se  
 penderet, obtulit, suumque ejus ante abi-  
 tum invisendi desiderium indicavit. Ille  
 in gratias effusus, ne tam incommoda u-  
 tens valetudine, id molestiæ sibi faces-  
 feret, orabat, seque ad discessum adigi  
 scribebat 18 Martii. Tum itidem se pur- <sup>n. 23.</sup>  
 gavit Regi Angliæ se adituro: sed dene- <sup>n. 25.</sup>  
 gavit petitam decimam partem ecclesia-  
 sticorum Scotiæ proventuum, eo quod  
 res inaudita esset illam cuiquam Principi  
 alieno in regno concedere.

Sæcul. XIII. Papa verni jejunii tempus Lugduni  
 A.C. 1251. agere pergebat, ubi die Coenæ Domini fa-  
 M. Paris. cro 13 Aprilis coram multis Episcopis i-  
 p. 712. teravit anathema in memoriam Frideri-  
 cæ. Stero. ci, & in Conradum ejus filium, ut qui si-  
 an. 1251. ne consensu Romanæ Ecclesiæ Imperium  
 ac Siciliam sibi vendicassent. Simul ra-  
 Sup. lib. 82. tam habuit Guilielmi Batavi electionem  
 §. 14. in Regem Romanorum. Decimo nono  
 Matth. Par. ejusdem mensis die Mercurii in hebdo-  
 p. 707. 710. made Paschatis Papa Lugduno abiit, post-  
 quam ibi sex annos & quatuor menses  
 traduxerat. Comitabantur eum plures  
 Cardinales, Nobilium numerus, & Philip-  
 pus Sabaudus electus Archiepiscopus  
 Lugdunensis validum copiarum præsi-  
 dium ducens, ut eundem ab incurfibus  
 Friderici partium tueretur. Evitatis  
 Mon. Pad. multis periculis Genuam attigit patriam  
 p. 593. suam, quo cuncti Lombardiæ Optimates,  
 Rayn. n. 30. qui partes ejus sequebantur, venerationis  
 causa venerunt: usque ad 22 Junii ibi  
 commorabatur.

## §. XXIX.

*Pastorum tumultus in Francia.*

Interim Gallia terribili pastorum motu  
 agitabatur. Erat ibi Hungarus qui-  
 dam Jacobus nomine sexaginta circiter  
 annos natus, qui in juventute sua quadra-  
 ginta abhinc annis pueros ad peregrina-  
 tionem

tionem sacram excitaverat, de qua suo loco memini. Deseruerat Ordinem Cisterciensem, multasque linguas, inter alias Latinam, Gallicam & Germanicam sciebat. Comperta S. Ludovici captivitate vatem sacrum simulare cœpit, perhibens, se spectabiles habuisse Angelos, & ipsam Virginem sanctissimam, esseque iustum sacram suadere militiam pastoribus solum ac plebeculæ, quia Deus Nobilium fastum aspernans hominibus obscuris & simplicibus Regis ac Terræ sanctæ liberationem reservasset. Alteram manum semper clausam tenebat, ea se Virginis mandatum scriptum tueri asserens. Pastores primum & colonos ad se attraxit, qui relictis gregibus & aratris suis cætervatim eum sequebantur de victu parum solliciti, quo reapse nunquam carebant. Dicebatque populus, annonam inter eorum manus augeri. Jacobus singulorum humero crucem imponebat, & pastorculi vocabantur.

At his primis eum per simplicitatem comitantibus se adjungebant homines vagi, prædis assueti, exilio multati, ab Ecclesiæ communionem repulsi, & ii omnes, qui temporis illius vocabulo Rivales dicebantur, ita, ut brevi exercitum centies mille capitum conficerent, atque in agmina sub varios Duces ac quingenta signa distribuarentur crucem & agnum exhi-

Sæcul. XIII.  
A.C. 1251.

*M. Par.*

p. 710.

*Pistor. I.*

p. 742.

*Lib. 77. §. 14.*

**Sæcul. XIII.**  
**A.C. 1251.**

bentia cum Jacobi visionibus, quas affirmabat. Nuncupabatur Magister Hungaricus, aliosque duos Magistros præcipuos sub se habebat. Hi agni discipuli (ita se nominabant) gerebant gladios, pugiones, ascias, clavas, & quidquid armorum congerere potuerant, ac concionantem Magistrum ii, qui optime muniti erant, circumdabant, quisquis contradicere auderet, eum aggressuri: nam Jacobus, & inferiores Magistri, quanquam laici, suo arbitrio de rebus sacris verba faciebant, multaque deliramenta etiam contra fidem loquebantur. Tantam auctoritatem sibi arrogabant, ut noxas condonarent, & nuptias solenni precatone conjungerent. Declamabant contra Clerum ac Religiosos, præsertim in Fratres Prædicatores Minoresque, quos vagabundos & pietatis simulatores dicebant. Cistercienses avaritiæ nimiaque fundorum ac pecorum suorum curæ, monachos nigros edacitatis & superbiæ arguebant. Canonicos a laicis haud multum diversos indulgere genio, Episcopos, ac substitutos in foro sacro Judices cumulandis pecuniis occupatos omni deliciarum genere frui perhibebant. Curia Romanæ maculas infamiæ aspergebant per calumnias, quas referre non ausim. Populus, qui Clerum odio & contemptui  
jam

jam habuerat, his sermonibus applau-  
bat.

Pastorculi cæperunt comparere post  
Pascha an. 1251, & longinquus Papæ ab-  
scessus eorum audaciam augebat. Pri-  
mum in Flandria & Picardia, ubi populi  
sunt simplices, cœtus sociarunt; &  
maximum jam numerum efficiebant, cum  
Franciam intrarent. Euntes per pagos  
urbesque incolas in metu continendi  
gratia sustollebant arma; & ne Judices  
quidem opponere se audebant. Regina  
Blanca eos aliquamdiu tolerabat, filium  
suum forsitan liberaturos sperans. Reli-  
cta Lutetia omnibus se periculis defun-  
ctos rati, se agnitos fuisse frugi homines  
gloriabantur, eo quod in hac civitate, ubi  
fons esset omnis sapientiæ, ipsis nemo  
contradixisset, cœperuntque violentiam  
ac expilationes suas exercere licentius.

Die S. Barnabæ 11 Junii magno appa-  
tu Aurelianum delati, invito Episcopo  
Cleroque, sed volente populo ingredie-  
bantur. Cum Jacobus se concionem  
habiturum præconis voce promulgasset,  
innumerabilis multitudo convenit. E-  
piscopus nomine Guilielmus Bussiacen-  
sis constituta anathematis pœna omni  
Clero suo interdixit, ne hunc deceptorem  
audiret vel sequeretur: nam laici nec  
monitis ejus nec minis movebantur am-  
plius. Aliqui tamen scholarum audito-  
res

Sæcul. XIII.

A. C. 1251.

Nang. Chr.  
to. II. Spicil.  
p. 538.

M. Par.  
p. 711.

Sæcul. XIII. res curiositati suæ cohibendæ impares  
A. C. 1251. hunc novum vatem sacrum auscultare  
 volebant: sed Clerici prudentiores trans-  
 versis septis muniti domibus se suis in-  
 cludere.

Postquam Jacobus dicere, solitasque ineptias suas proferre cœperat, quidam ex Academicis ei aures præbentibus fidente accedens animo, Mentiris, inquit, infelix hæretice, veritatis inimice! tu simplices fallis. Vix hæc finierat, cum unus pastorculorum securis ictu caput ejus in duas partes diffidit. Protinus ingenti omnes tumultu contra Clericos ire, in eorum domos perfractis foribus ac fenestris irruere, libros pretiosissimos igni tradere, populo haud obsistente illorum multos fortunis evertere, vulnerare, cruenta morte afficere, aut in Ligerim præcipitare. Viginti quinque desiderati sunt. Qui suis in ædibus se continuerant, illis nocturna fuga saluti fuit. Pastorculi a commota urbe sibi metuentes se subduxere periculo: & Episcopus eam interdicto multavit, eoquod illis non resistiterit.

Regina Blanca de his malis certior facta, se istorum hominum simplicitatis speciem præ se ferentium fraude in errorem inductam pro sua modestia fatebatur, ac eos dispergere de consilio Præsulum Procerumque statuit. Initium ita factum

factum, ut a piorum commercio exclusi denunciarentur. Sed ante promulgatum anathema Bituricas delati, & ab incolis recepti, cum Judæorum conventus intrassent, eorum libris combustis domos expilarunt. Egressos autem mœnibus sequente in armis populo Jacobum solita impudentia concionantem lanus quidam securi percussit in capite, communique luce privavit. Cadaver insepultum mansit, & sparsio rumore, pastorculos una cum fautoribus suis sacra detestatione inferis devotos esse, illi dissipati ubivis terrarum impeti perimique instar rabidorum canum cœpti sunt.

Cum ex eorum catervis aliquæ Burdigalam vellent ingredi, Simon Lecestriæ Comes illic Anglorum Regis nomine imperium habens occludi portas jussit, & rogavit homines, cujusnam ex autoritate venissent? Nec Papa, reponebant, nec Episcopi, sed Deus, qui potest omnia, ejusque Virginea Mater nos miserunt. Recedite confestim, subjunxit Comes: sin minus, omnes copias meas, & conscriptas provinciæ cohortes in vos immittam. Hac comminatione territi abiire: ac Dux eorum se clanculum furripiens conduxit navem, ad Saracenos, a quibus venerat, reversurus. Sed nautæ agnitum Hungari socium manibus pedibusque vinctum in Garumnam projiciebant. Invenere post-

Sæcul. XIII.  
A.C. 1251.

p. 712.

Sæcul.XIII.  
A. C. 1251.

posthæc in ejus sarcina multum pecuniæ, pulveres venenatos, ac epistolas Arabice scriptas, quibus Sultanum ad persecutionem suscepti consilii animabat, seque magnam ei multitudinem adducturum spondebat.

Tertius quidam pastorculorum Dux in Angliam profectus ibi supra quingentos eorum brevi collegit. At ob sacram sui proscriptionem ac Hungari necem divulgatam infamia laborantes, corruptorem ipsi in frustra conciderunt. Illorum multi discussa caligine veram crucis militiam poenitentiae causa secuti, in Terram sanctam sub signa sancti Regis Ludovici se contulere. Sic finita est hæc hominum depravatio sapientium virorum judicio periculosissima, quæ post Mahometis ætatem contigerit.

§. XXX.

*Initia S. Petri Veronensis.*

*ap. Rayn.*  
*n. 33.*

Papa Innocentius manebat Genuæ, ubi ad Petrum Veronensem & ad Vivianum Bergamensem fratres Prædicatores scripsit in hanc sententiam. Postquam Deus Ecclesiam suam liberavit tyrannide Friderici quondam Imperatoris, qui pacem turbabat, præsertim in Italia, & hæresi favebat, statuimus Inquisitionem ibi firmare eo majore studio, quo propius nobis

nobis est malum. Quocirca vos Cremonam petere, habitaque synodo dioecessana extirpandæ hæresi efficacem navare operam jubemus. Quos illa infectos aut ejus infamia notatos Ecclesiæ mandatis non perfecte submittere se videritis, secundum Canones tractabitis, Magistratus civilis præsidium, cum opus erit, invocantes. Siqui hæresin abjurare voluerint, eos consulto loci Episcopo absolvatis, adhibitis tamen cautionibus necessariis, ut vos securos de sincera eorum correctione reddatis. Et quia negotii hujus progressus præcipuæ nobis est curæ, volumus, ut declaretis palam, si qua urbs vel societas, si qui Proceres, aliive viri potentes illum impediunt, nos facturos esse, ut Ecclesiæ gladium, Regesque, Principes, ac reliquos cruce signatos sibi sentiant inimicos, eo quod magis intersit fidem in propinquo quam procul defendere. Dabat 13 Junii an. 1251.

Petrus, cui hæc epistola scripta est, parentibus hæreticis, qualis pene tota ejus familia erat, Veronæ natus est sub anno 1206. Septem aut octo annorum puer, cum de schola veniret, a patruo suo hæretico, quid edoctus esset, rogatus, Symbolum, aiebat, didici, Deumque visibilium omnium & non visibilium authorem esse: & patruo instante, ut diceret, Deum non esse authorem rerum visibi-

Sæcul. XIII.  
A. C. 1251.

*Vit. ap. Boll.*  
29. Apr. to.  
11. p. 688.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1251.

visibilem (nam isti hæretici erant Manichæi) id tamen, quod legerat, constanter affirmabat. Ille fratri suo pueruli patri rem indicavit, suavitque, ut filiolo scholam interdiceret. Metuo enim, addebat, ne magis informatus ad Ecclesiam Romanam transeat, nostramque destruat religionem. Nihilominus pater eum grammaticam absolvere voluit, & statura majorem Bononiam misit sua studia profecturum. Ibi tentatam sæpius castitatem servavit integram, ac vivo etiamnum S. Dominico, & quod consequitur, quindecim ætatis annos vel sexdecim habens Prædicatorum Ordinem ingressus est.

p. 680.

*Sup. lib. 77.*  
*S. 47.*

*Boll. p. 693.*

Scientiis apprime excultus, evasit concionator per totam Lombardiam ce-  
leber, ac hæreticos, a quibus infecta erat, strenue impugnavit. Itaque a Gregorio IX. Inquisitor Mediolani factus Papæ constitutionem contra hæreticos concilii Lateranensis decreto consentaneam inter urbis sanctiones referri iussit die Veneris 15 Septembris an. 1234. Etiam Florentiæ adversum hæreticos tantam dicendi vim adhibuit, ut eos urbe pulsuri complures viri nobiles arma caperent. His vexillum cruce signatum præbuit, & acri pugna in foro S. Felicitatis ad Arnonem fluvium commissa Catholici victores hæretici

reticos e mœnibus ejecerunt. Talis Sæcul.XIII.  
A C. 1251.  
erat Petrus Veronensis, cum Papa Innocentius Inquisitoris munus ei imposuit non Cremonæ modo, sed & Mediolani, totoque in territorio exercendum.

## §. XXXI.

*Papa Mediolani versatur.*

**G**enua Mediolanum profectus Papa & ab incolis magno exceptus honore duos ibi menses commorabatur. Sed Mon. Pad.  
p. 593. antequam Genua discederet, quod 28 Junii factum, Ecclesiæ reconciliavit in- Mat. Par.  
p. 707. p. 712. signes quosdam viros, quos die Cœnæ Domini sacro anathemate multaverat; inter alios suæ neptis maritum Thomam Sabaudum, postremo tempore Friderici partes secutum. Per Archiepiscopum Epist.  
ap. Rayn.  
n. 31. Viennensem, ac Episcopum Gratianopolitanum Papæ jussu monitus, ut ad officium rediret, cum Fridericum sciret mortuum, se submisit, & gratiam cum illo iniit. Relicto Mediolano, & Lombardia, ne se magnis urbibus includeret, celeriter peragrata, Perusiæ substitit Innocentius, ibique reliquam anni partem trans-egit.

## §. XXXII.

F

*Hist. Eccles. Tom. XXI.*

Sæcul. XIII.  
A. C. 1251.

§. XXXII.

*S. Ludovici Regis in Palæstina occupationes.*

*Joinv. p. 88.* Rex S. Ludovicus interim in Palæstina curabat, ut Duces Ægyptii pactum cum ipso initum exequerentur. Quosdam identidem captivos ei remittebant: permultos vero pecunia, jam sexcentos, jam septingentos simul redemit: denique, quotquot in Ægypto per viginti annos capti fuerant, liberavit: & quæ in Palæstina Christiani tenebant, loca, scilicet Ptolemaidem, arcem Hiffæ seu Caisæ, Cæsaream, Joppen ac Sidonem, suis sumptibus reparari munirique iussit.

*Duchesne p. 404.*

*p. 469.*

*p. 359.*

*p. 456.*

Pridie festum SS. Virginis ab Angelo salutatæ 24 Martii 1251 religionis causa Nazarethum petens, vix sacrum hunc locum procul viderat, cum equum relinquens in genua procubuit, ac reliquam deinde viam pedes confecit, quamvis ea die nullo præter panem & aquam cibo potuve sumpto magnopere defatigatus esset. Pomeridianam & antelucanam divini officii partem, sacrumque solenniter cantari voluit, quod peregit Legatus Odo Castro-Radulphinus, & pium habuit sermonem. Rex pretiosa varii coloris ornamenta pro ratione dierum festorum singulari quadam cura gerere solebat.

Nazare-

Nazaretho Cæsaream 28 Martii profectus, *Sæcul. XIII.*  
 ibi reliquam ejusdem anni, & aliquam *A.C. 1251.*  
 sequentis partem traduxit, illam muni-  
 tionibus sepiendo præcipue occupatus. *Sanut. p. 220*  
*Joinv. p. 89.*

Paulo post, quam eo advenerat, Fra-  
 tres Prædicatores, quos duobus abhinc  
 annis in Tartariam miserat, redierunt,  
 nempe Andreas Longogeminus ac ejus  
 socii. Ut narrabant, a Cypro in portum  
 Antiochiæ advecti, inde ad locum usque,  
 ubi Tartarorum Canus agebat, in iter an-  
 num totum insumpserant, per diem tri-  
 cies mille passus emetiendo. Omnis re-  
 gio, quam peragrabant, Tartaris parebat,  
 ac sæpenumero in urbibus & pagis gran-  
 des humanorum ossium acervos vide-  
 bant. Cajuc - Canus mortem obierat,  
 cum advenerunt, ejusque vidua regnum  
 administrabat usque ad electionem, quæ  
 Bato tanquam familiæ natu maximo de-  
 lata fuit. Is Moncacam, alio nomine *Abulfar.*  
 Mangum, qui Ginguis - Cani nepos, ut ipse *p. 326.*  
 erat, elegit anno Epochæ Arabicæ 649,  
 Christi 1251. Fratres Prædicatores illius  
 electioni aderant, & honorifice excepti  
 novum Canum Christianis satis faven-  
 tem experiebantur: sed de Ercalthajo,  
 cujus epistola S. Ludovico allata fuerat,  
 nihil audivere. Ex horum relatione Rex *ap. Rayn.*  
 Papæ scripsit, multos Tartaros accepisse *1253. n. 49.*  
 baptismum, & plures idem facturos, si  
 docerentur fidem. Verum Bagdetiæ

Sæcul. XIII.

A.C. 1251.

Califæ potentia, addebat, facit, ut regio paucissimos habeat Episcopos. Ex re proin esset, si quidam Fratres Prædicatores Minoresve consecrarentur in Episcopos, & illuc mitterentur, ut Sacramenta Episcopos exigentia conferre, atque legibus ad matrimonia & jejunia spectantibus solvere possent.

## §. XXXIII.

*Querelæ de Papa.**Chr. Matth. Spin.**Matth. Par. p. 713.*

Cæfareæ S. Ludovicus scripsit Reginæ matri, fratribus suis, & subditis, celerè militum, commeatus, ac pecuniæ subsidium poscens. Illa acceptis litteris omnes Regni Nobiles convocavit, ea de re consulendos: qui libere conquerebantur de Papæ ratione agendi, novum in orbe Christiano bellum excitantis. Nam Conradus Imperatoris Friderici filius a mense Majo hujus anni 1251 Italiam intraverat, possessionem Siciliæ aditurus: & a Venetis classem nactus, 26 Augusti ad Pescariam exscenderat. Cuncti provinciæ Proceres ipsi obviam cum iissent, omnes copias suas in Comites Aquinatem ac Soranum Papæ adhærentes duxit, & die S. Martino sacra eis cladem attulit. Papa vero expeditionem sacram in Conradum præsertim in Brabantia, Flandria, & Gallia promulgari curabat cum

cum indulgentia majore, quam quæ Ter-  
ram sanctam petentibus concessa erat, Sæcul. XIII.  
A. C. 1252.  
utpote ad patrem matremque cruce si-  
gnati se extendente.

Itaque Franciæ Nobiles tunc dice-  
bant: Papa novum contra Christianos  
bellum indicit, ut augeat dominationem  
suam, & Regis Domini nostri tanta pro  
fide sufferentis memoriam deponat. Com-  
mota his verbis Regina Blanca omnium  
novorum hujusmodi militum terras oc-  
cupari jussit, inquiens: Papa sustentet  
illos, qui ad ipsius servitum abeunt nun-  
quam redituri. Proceres hujus generis  
militibus suæ ditioni obnoxii idem fa-  
ciendo Papæ molimina disturbabant. In-  
vehebantur etiam in præcones ejus Fra-  
tres Prædicatores, Minoresque. Con-  
struimus vobis templa domosque, aje-  
bant; vos recipimus, alimus, & fove-  
mus. Quid boni Papa in vos confert?  
Fatigat vos & divexat: vos, quæ postu-  
lat, tributa colligere jubet, & Patronis  
vestris odiosos reddit. Illi per obedien-  
tiam ei debitam se purgabant.

Sub initium anni 1252 Papa per lit-  
teras Regem Angliæ hortabatur, ut Re-  
gi Franciæ in Terram sanctam suppetias  
ferret, aut, si eam ipse non peteret, sal-  
tem petituros non impediret. Ille Papæ  
monitum novis pensionibus, quas a Ju-  
dæis Regni sui extorquebat, prætexuit.

Sæcul. XIII  
A. C. 1252

p. 719.

p. 720.

Sub festum Paschatis Londinum omnes Proceres cruce signatos convocavit, de subsidio Palæstinæ ferendo deliberaturos: & secunda post Pascha hebdomade die Jovis Westmonasterii Crucis militiam solemniter indici jussit: sed ob indignationem de exactionibus Aulæ Romanæ pauci auditores ibi aderant: nam Rex sub obtentu hujus itineris, quod non fecit, a Papa jam copiam impetraverat, decimam partem per triennium a Regni sui Clero & populo exigendi. Hinc nata suspicio, Regem hoc solo fine induisse crucem. Attamen se post tres annos die S. Joannis profecturum juravit, manum pectori, ut Sacerdotes solent, dein Evangeliiis admovens. Assistentes autem non ei fidebant amplius.

ap. Rayn.  
n. 266

Papa, quo plures ad transmarinam crucis militiam permoveret, plenæ noxarum veniæ novas addebat gratias, Episcopo Avenionensi potestatem faciens illos, qui percussissent Clericos, aut templa incendissent, absolvendi; Clericos impedimentis sacrorum Ordinum, in quæ incurrissent, liberandi; spurios ad sacros Ordines ac beneficia admittendi; in votum sacrae militiæ cætera (excepto voto ingrediendi Religiosum Ordinem) vota omnia mutandi. Dabat litteras 13. Febr. 1252. Ita solutiones a legibus disciplinæ damno prodigebat.

§. XXXIV.

## §. XXXIV.

Sæcul.XIII.  
A. C. 1252.*Episcopatus Laudensis & Adri-  
nus.*

Anno præterito Papa, cum Mediolani  
esset, receperat Laudem civitatem an-  
tea Friderici partibus addictam usque a-  
deo, ut Papa Gregorius IX. eam Episco-  
pato privaverit ob graves injurias non-  
nullis Clericis ac Religiosis viris illatas,  
combustumque insuper quendam Fratrem  
Minorem. Ottobellus tum temporis E-  
piscopus Laudensis urbem suam sic de-  
pressam videns, præ mœrore diem obiit  
an. 1242, ac per annos decem nullum  
habuit successorem. Tandem vero In-  
nocentius IV. urbi in gratiam receptæ  
Pontificiæ sedis decus restituit, & Bon-  
joannis electionem in ejus Episcopum ap-  
probavit: ut constat e litteris, quas dabat  
9 Jan. 1252.

*Mon. Pad.  
Ughell. to.4.  
p.920.921.  
Raynald.  
n.5.*

Adriam Aprutii ulterioris oppidum,  
cum a Papa staret, Cardinalis Petrus Col-  
limedius Episcopus Albanensis ei nomen  
urbis & Pontificiæ sedis honorem, nec  
tamen Episcopum singularem tribuit, sed  
Episcopatum Pennensem perpetuo jun-  
xit, e quo pendeat Adria, & cujus E-  
piscopus tunc Beraldus erat. Paparem  
ratam habuit per diploma 5 Martii an.  
1252 datum: & hi duo Episcopatus Pen-  
F 4 nensis

*Ughell. to.1.  
p.59.  
Raynald.  
n.6.*

Sæcul. XIII. A.C. 1252. nensis & Adrianus postea conjuncti semper, atque Apostolicæ Sedi proxime subiecti permansere. Sed fateor, me non videre, quid emolumenti spiritualis ex hac Episcopatus duplicatione provenit.

## §. XXXV.

*S. Petri Veronensis martyrium.*

*Vit. ap. Boll. to. II. p. 696.* Interea Petrus Veronensis, Inquisitor, Mediolani hæreticos fortiter impugnabat. Sæpe his spondebat, se comprobandæ fidei catholicæ causa subiturum flammis, si eas secum intrarent. Dicebat, se per illorum scelus e corpore excessurum, ac Mediolani sepultum iri. Quoties ad altare Cælestem Hostiam supra verticem attollebat, toties orabat, ne aliter, quam pro fide animam ederet. *p. 698.* Dominica Palmarum 24 Martii sacram Mediolani orationem habens ad decem fere millia hominum clara voce, Certum est, inquebat, hæreticos in meam necem conspirasse, ac eo fine pecunias apud aliquem deposuisse. Sed agant, quidquid velint, mortuus eis plus obstabo, quam vivus fecero. Deinde Comum, ubi cœnobia præerat, remeavit.

*p. 681.* *Geric. p. 263.* Conjuraverant vero Stephanus Gonalonerius (seu Ecclesiæ signifer aut defensor) Aliatensis, Manfredus, Clitorus  
ex.

ex oppido Juffano inter Mediolanum & Sæcul. XIII.  
 Comum sito, Guido Sacchella, & Jaco- A.C. 1252.  
 bus Clufanus. Sicariorum mercedem,  
 quæ inter eos convenerat, conficiebant  
 quadraginta monetæ Mediolanensis libræ  
 in manibus Thomæ Juffanensis depositæ.  
 Cædis executionem commifere Petro  
 Balsamo agnomine Carino, qui Alberti-  
 num Porrum cognomento Mignifum in  
 focium elegit. Prætermiffis diebus Pa-  
 fchatis, Carinus triduo Comi manens in  
 monasterio Fratrum Prædicatorum quo-  
 tidie rogavit, quando Petrus Mediolanum  
 iturus effet; ac fabbato intra hebdoma-  
 dem Pafchatis fexto Aprilis ante lucem  
 illum abiiffe comperit. Manfredum dein  
 orabat, ut fuum ipfi equum commoda-  
 ret, tanto certius Petrum peditem affe-  
 cuturo. Abnuebat ille, ne per equum  
 fuum contra fe indicium daret, veritus.  
 Cucurrit itaque, ne hanc occasionem a-  
 mitteret, facileque attigit virum lentis-  
 fime procedentem & fractum viribus per  
 quartanam, qua longo a tempore labo-  
 rabat.

In media via prope locum, cui Barla-  
 fina nomen erat, densam inter fylvam,  
 ubi ab Albertino focio fuo expectabatur,  
 hominem fanctum affequens falce per-  
 cuffit in capite, quæ cranium lato & pro-  
 fundo vulnere aperuit non avertenti fe,  
 nec ullo modo evitare ictum conanti.

F 5

Sed

Sæcul. XIII.  
A. C. 1252.

Sed commendans se Deo, pronunciabat symbolum, pro cuius defensione vitam dabat. Magnis interim clamoribus opem flagitanti comiti ejus Fratri Dominico quatuor latro plagas imposuit, e quibus vir bonus post aliquot dies decessit. Tum ille cultro palpitantis adhuc Petri latus hausit, ac cædem consummavit. Cadaver ejus primum ad S. Simpliciani Abbatiam in Mediolani suburbio sitam deferabatur, & postridie in urbe ac S. Eustorgii templo Fratribus Prædicatoribus commisso solenniter humatum fuit.

p. 682.

Latronem paulo post ex quodam indicio comprehensum Mediolani Prætor nomine Petrus Lavocatus in carcerem compegit. At ministri pecunia corrupti post decem dies effugium illi permisere. Ergo populus culpam in Prætorem rejiciens ad ejus palatium currit, hoc diripit, ipsum ad tribunal Archiepiscopi accusat: a quo exauthoratus vitam vix salvam præstitit. Archiepiscopus erat Leo Peregus Ordinis Minorum. Carinus Forum Livii fuga delatus, & factorum poenitentia ductus, Prædicatorum Ordinem intravit, & tanquam frater laicus ætatem sancte traduxit.

§. XXXVI.

## §. XXXVI.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1252.*Diplomata pro Fratribus Mendican-  
tibus.*

Sub idem tempus Papa Innocentius Fra-  
tres Prædicatores sacrarum Deo Vir-  
ginum regimine exoneravit, ne illos a  
litterarum studiis & ministerio verbi di-  
vini averteret. Duo tantum cœnobia,  
Romanum S. Sixti, & Prulianum in Oc-  
citaniam, quod omnium primum erat, eo-  
rundem curæ reliquit. Generalis Magi-  
ster Ordinis Frater Joannes Teutonicus  
Papæ rem mali exempli conquerebatur,  
quod nimirum aliqui suorum Fratrum  
contra votum obedientiæ in sui electio-  
nes ad Episcopatus consentirent incon-  
sultis Magistris Provincialibus, & Archi-  
episcopi haud ægre illos consecrarent.  
Igitur Papa vetuit, nequis Fratrum Præ-  
dicatorum Episcopatum acciperet, ac  
nequis Archiepiscopus vel alius Præsul,  
etiamsi Apostolicæ Sedis Legatus esset,  
Fratrem Prædicatorem declararet Epis-  
copum, aut inauguraret, nisi Generalis  
vel Provincialis Magister Ordinis hoc per-  
mitteret, aut sancta Sedes id mandaret.  
Actum 15 Jul. an. 1252. Simillimas Pa-  
pa litteras pro Fratribus Minoribus ad Ge-  
neralem eorum Ministrum Joannem Par-  
mensem 22 Aprilis eodem anno dederat.

*Rayn. n. 5.**Id. n. 34.**Vading.  
1252. n. 22.*

## §. XXXVII.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1252.

§. XXXVII.

*Reginæ Blancae obitus.*

*Sanct. p. 220*

*Joinv.  
p. 103.*

Sanctus Ludovicus in Palæstina semper morabatur. Cæsarea Joppen 15 Apr. 1252 profectus, ut eam muniret, ibi substitit. Ibidem comperit, per Sultanum sibi licere Hierosolymam sine ullo periculo petere: fecissetque libenter: sed regionis Proceres, quos hac de re consulabat, eum dehortabantur, quia consentire non poterant, ut urbem in manibus ethnicorum relinqueret. Proponebant ei exemplum Regis Angliæ Richardi, qui Hierosolymæ proximus noluisse eam visere; sed oculis ad sagum suum conversis inter lachrymas dixisset: Ah Domine! Absit, ut spectem sanctam civitatem tuam, cum eam hostibus tuis eripere nequeam! Deinde, Tu es maximus Christianorum Rex, ajebant: si pietatis causa Hierosolymam adires, nec liberares, cæteri Reges omnes, qui suscepissent hoc iter, se crederent votum solvisse suum agendo, quod tu egisses.

*M. Par.  
p. 740.*

Ludovicus eodem in loco etiamnum erat, cum nuncium accepit de obitu Reginæ matris suæ, qui prima Adventus Dominica 1. Decembris 1252 contigerat. Meloduni morbo correpta Parisios se deferri, eoque vocari jussit Abbatissam Malbus-

Malbulfonii Virginum Cisterciensium cœ- Sæcul. XIII.  
nobii, quod prope Pontesium condiderat. A.C. 1252.

Hæc fuit, a qua sacram recepit vestem, & cujus inter manus solenni ex formula vota nuncupavit. Post mortem ejus capiti supra velum corona imposita, corpus supra vestem religiosam amictu regio indutum, Malbulfonam portatum, ibique sepultum est: sic enim Regina voluerat, quæ summum sui desiderium tota in Francia reliquit.

Perlata in Palæstinam rei notitia, Le- *Duchesne.*  
gatus Odo Castro-Rodulphinus, qui eam *p. 457.*  
primus habuit, assumptis in comites Ægydio Tyri Archiepiscopo sigilli regii custode, ac Godefrido Bellolocensi Regis arcano Judice Ordinis Prædicatorum S. Ludovicum adiit, seque cum eo his præsentibus in ipsius conclavi clam loqui velle dicebat. Rex illum esse tristem nuncium e serio vultu conjiciens, e cubiculo eos in sacellum duxit, ubi coram altari confederunt omnes. Tum Legatus exposuit, quanta Deus beneficia Regi ab infantia contulerit, & inter alia, quod ei dederit matrem, quæ tam probe ipsum educasset, Regnoque tam sapienter præfuisset. Hanc expirasse tandem addidit, fletum ac singultus non tenens amplius. Exclamabat Rex; magnaque vi lachrymarum profusa, ad aram provolutus in genua, junctis manibus, tenerrimo pietatis

Sæcul. XIII.  
A.C. 1252.

*Joinv.*  
*p. 110.*

tatis sensu, Domine! agebat, gratias tibi habeo, quod tam bonam mihi matrem dederis. Hanc tum, cum tibi lubuit, abstulisti. Equidem amavi eam præ cunctis mortalibus, ut merebatur. Sed quoniam ita tibi placuit, sit nomen tuum benedictum perpetuo! Cum dein Legatus pro illa Deum breviter orasset, Rex secum in sacratio solum manere Godefridum voluit, qui cum modestia dicebat, satis naturæ datum; modo rationi per gratiam illustratæ parendum esse. Surgebat ille protinus, & adiit locum, in quo preces horarias fundere consueverat. Ibi totum pro vita functis officium, seu vespertinas preces ac novem lectionum pervigilium persolvit cum Godefrido, qui tanto affectum dolore tam longis in precationibus nihil omnino errasse mirabatur. Innumera sacra precesque in cœnobiis pro Regina matre sua fieri curavit, & quotidie singulari sacrificio ad intentionem suam oblato interfuit. Per biduum in conclavi se suo continens nemini loquebatur, nec Joppen reliquit ante finem Junii. Præter illa pietatis officia, quæ in Palæstina matri suæ præstari iussit, in Gallias tantam gemmarum copiam, quanta justam equi sarcinam conficiebat, inter Ecclesias distribuendam misit, preces pro Blanca & pro se postulans.

Sex

Sex ante mensibus, quam hæc Princeps obiisset, Papa Innocentius ad Episcopos, Abbates, ac universon Regni Clericorum scripsit, ut ne Clericos in conflictum descendere paterentur. Antiquissima sed barbara consuetudine Clerici jus suum in servos Ecclesiarum, qui alios agnoscere Dominos volebant, singulari certamine tueri cogebantur, ita, ut ad illud probandum aliter non admitterentur, quamvis per testes, aut aliis modis legitimis id facere possent. Papa hunc morem abrogat, eoquod Clericis haud liceat singulari pugna congregari seu per se, seu per alios: & nullas esse declarat sententias contra illos hac de re latis. Diploma dabat 23 Julii 1252.

Sæcul. XIII.

A.C. 1252.

Rayn. n. 31.

§. XXXVIII.

*Moneta Christianorum ad Ortum habitantium.*

Legatus Odo Castro-Rodulphinus aliquo abhinc tempore Papæ per litteras significaverat, Christianos monetæ, quam Ptolemaide ac Tripoli cuderent, nomen Mahometis insculpere annumque ab ejus ortu: volebat dicere: annum Epochæ Arabicæ. Contra omnes, qui monetas ejusmodi sive aureas, sive argenteas in Regno Hierosolymitano, in Principatu Antiocheno, & in Comitatu Tripoli-

Rayn. n. 92.

Sæcul. XIII. Tripolitano ferirent, Legatus anathema  
A. C. 1253. promulgaverat; quod eo petente ratum  
 Papa habuit per epistolam 12 Febr. 1253  
 datam, cum non indigna modo sed abo-  
 minanda res sit, aiebat, tam odiosi nomi-  
 nis memoriam celebrare. Nihilominus  
 per decem propemodum sæcula Christia-  
 ni ad Ortum habitantes annos a Diocle-  
 tiani regimine computabant: ut constat  
 inter alia ex chronicis Georgii Elmacini,  
 qui eodem tempore vivebat; & libri Ma-  
 chabæorum annos ab Alexandri domina-  
 tu numerant. Nummariaæ vero epigra-  
 phæ intelligi debent a populis, quibus-  
 cum habetur commercium.

*Id. n. 50.* Alphonfus Pictavii Comes, Regis fra-  
 ter, cruce semper indutus redire ad Ter-  
 ram sanctam parabat. Idcirco Papa 2  
 Apr. 1253 Priori Fratrum Prædicatorum  
 Parisiensium scripsit, ut mitteret, qui in  
 Francia, Navarra, Provincia, Britannia,  
 Burgundia, & in Alphonfi terris Christia-  
 nos ad militiam Crucis accenderent, so-  
 litamque sponderent indulgentiam non  
 iis tantum, qui gererent arma, sed & il-  
 lis, qui ad belli sumptus pecunias con-  
 tribuerent: Faciebat simul Priori co-  
 piam ab omni criminum genere absol-  
 vendi.

## §. XXXIX.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1253.*Petrus Martyr in Sanctorum numerum  
refertur.*

Ante aliquot dies Papa Fratrem Petrum Veronensem anno præterito ab hæreticis interemptum Cœlitum albo inferuerat. Edoctus de multis miraculis ab eo tum in vita tum post obitum patratis, cum accuratas in ea inquisitiones fieri curasset, plura, quam communis fama ferebat, comperit. Igitur Perusiæ 24 Martii 1253 pro foribus templi Fratrum Prædicatorum præfente Cleri ac populi multitudine illum solenni ritu sanctos inter Martyres retulit. Sed quod die mortis, sexta Aprilis sæpe Pascha celebraretur, vigesimum nonum Aprilis honori ejus consecravit. Notus idem est sub nomine S. Petri Martyris. Multi aliquamdiu omittebant ejus festum agere per neglectum alii, alii per contemptum. Itaque Papa universos Clericos ac Religiosos eundem novem lectionum officio colere jussit, exceptis Ecclesiis, quæ tam longa pensa horaria Paschatis tempore persolvere haud solerent. Hanc constitutionem fecit 8 Aug. 1254.

*Vita c.6. ap.  
Boll. to. II.  
p. 700.*

c.7.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1253.

§. XL.

*Mors fratris Eliæ.*

*Vading. hoc  
n. n. 30.*

Cum Papa relicta Perusia mense Aprili  
1253 Assisii versaretur, frater Elias  
olim Ordinis Minorum Generalis Minister  
per internuncium absolutionem ab eo pe-  
tiit. Post obitum Friderici, cui se addi-  
xerat, Cortonam patriam suam adierat;  
ubi construendo Fratibus Minoribus spa-  
tioso templo ac monasterio se occupabat,  
quamvis Ordine deserto, immo posita e-  
jus veste pro se privatim viveret, superio-  
ri nulli obnoxius. Cum æger decumbe-  
ret, frater quem habebat inter Minores,  
desperatam ejus vitam audiens, Corto-  
nam properavit, & illum ardentem mo-  
nuit, ut Ordinem & Apostolicam Sedem  
sibi reconciliaret. Elias sibi redditus a-  
gnita delicti sui gravitate oravit fratrem  
suum, ut celeriter Assisium iret, atque i-  
psius absolutionem a Papa flagitaret.

Eo profecto Elias sabbato sancto suum  
augeri malum sentiens, Bencium Corto-  
nensem Archidiaconum accersiri voluit,  
quo præsentem jurabat, se, si convalescat,  
venturum esse ad Papam; vel, si morbus  
pertinax sit, missurum, qui ad eum acce-  
dat. Archidiaconus, ut caute ageret,  
octo hujus promissi testes sibi asciverat,  
quinque Sacerdotes ac tres Notarios pu-  
blicos,

blicos, eumque a censuris, alius Sacerdos Ventura dictus a peccatis absolvit, postquam ejus confessionem exceperat; denique secundo die Paschatis quidam Fratrum Minorum Diotifecius nomine cœlesti epulo communivit: quæ ille Sacramenta inter magna pœnitentiæ indicia accepit. Non autem perunctus est sacro oleo, quod eo die Cortonæ deerat, Episcopum nondum habenti. Proximo die 22 Apr. 1253 vi morbi oppressus animam edidit. Post aliquot dies ejus frater Assisio rediit cum Valasco ejusdem Ordinis monacho, quem Papa præfecerat expiationibus, & Eliæ pœnitentiam examinare jusserat. Hunc ille mortuum audiens, curavit summæ fidei litteras confici, quoniam is modo vitam finiisset, publice testaturas.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1253.

§. XLI.

*S. Claræ obitus.*

Eodem tempore, quo Papa Assisii commorabatur, S. Clara vivere desiit. Per annos quadraginta duos cœnobium S. Damiani ex informationibus a S. Francisco acceptis gubernabat. Sub amictu vilissimo gestabat cilicium e fetis equinis, aut porcina pellem: cubabat in humo nuda vel strata sarmentis & trunco pro pulvinari. Jejunium venum & S. Martini

Sup. Lib 77.  
c. 9.  
Vit. ap. Sur.  
12. Aug. c. 12

Sæcul. XIII.  
A. C. 1253.

c. 14.

tini sic colebat, ut panem duntaxat & aquam sumeret, ac diebus lunæ, Mercurii, & Veneris ab omni cibo abstineret, donec S. Franciscus ac Episcopus Assisinas eam tantæ inediæ moderari iusserunt. Ejus preces erant continuæ ac fervidæ, quarum efficacia hac præsertim occasione apparuit. Assisium oppugnabant Imperatoris Friderici copiae & inter has Saraceni sagittarii, qui monasterium S. Damiani jam conscendebant. Sancta Antistita quantumvis ægra ad portam duci, & ante se in capsella argentea eburneæ inclusa Hostiam divinam eo deferri voluit. Ibi prostrata inter lacrymas, Domine! aiebat; Tune ethnicis trades pauperes ac inermes famulas tuas, quas in tui amore educavi? Mox e sacra capsula vocem puerilem audiit dicentem: Ego vos semper custodiam. Et cum etiam pro civitate oraret, eadem vox inquebat: Urbs patietur ærumnas: sed eam protegam. Confestim Saraceni reliquerunt muros, in quos ascenderant. Papa Gregorius IX. initio Pontificatus sui per litteras se commendabat in ejus preces, ac singularem in ea fiduciam ponebat.

c. 25.

Præ austerâ vivendi ratione solutis viribus per octo & viginti annos affixa lecto, ut se occuparet, ac suæ in SS. Altaris Sacramentum pietati satisfaceret,  
in

in lectulo ita se curabat erigi, ut sederet; ducebatque tenuissimum e colu filum, ex quo contexta linteola Eucharistica in viciniae templa distribuebat. Multos sanabat ægros signum Crucis super eos formando. Virgines suas ad amorem paupertatis, solitudinis, ac silentii, ad oblivionem parentum ac propinquorum, ad laborem manuum per precum intervalla cohortabatur.

Aula Romana Perusiae versante anno 1252, Cardinalis Raynaldus Episcopus Ostiensis, Papæ Gregorii IX. nepos, sanctæ Antistitæ ac Ordini ejus apprime favens, cum ejusdem morbum ingravescere comperisset, eam invisere properavit, & divina refecit dape; ad sorores autem sacram orationem habuit. S. Virgo his ei commendatis, ut perfectæ paupertatis privilegium ipsis concessum a Papa & Cardinalibus confirmari curaret, impensissime oravit. Anno sequente 1253 Papa Innocentius Assisii audiens Claram in dies magis languescere, ipse ad eam venit. Intravit cænobium cum quatuor Cardinalibus, manumque osculo excipiendam ei præbuit. At illa etiam pedi volebat suavium dare, eique gratificandum erat. Deinde, ut noxis exsolveretur, demisse petiit, dixitque: Utinam hæc absolutio mihi sufficeret! Dabat hanc ei cum benedictione amplissima; & S. Vir-

Sæcul. XIII.

A.C. 1253.

c. 28.

c. 21.

c. 9.

c. 22.

c. 25.

c. 26.

Sæcul. XIII. go plena solatio mansit, cum sacram  
 A. C. 1253. munionem eo ipso die e manu Ministri  
 Provincialis accepisset.

*Vading.* Exemplo S. Francisci testamentum  
*an. 1253. n. 5.* condidit, in quo susceptum talis vitæ con-  
 filium memorat, & suis fororibus ante om-  
 nia paupertatis studium ad mentem  
*Vita. c. 27.* S. Patris sui comendat. Denique spi-  
*c. 28.* ritum Deo reddidit post die festum S. Lau-  
 rentii 11 Aug. 1253. Ut primum id com-  
 pertum est, tota urbe ad cœnobium S. Da-  
 miani accurrente Magistratus custodes ibi  
 posuit, ne corpus auferretur. Cum Fra-  
 tres Minores inchoassent officium pro  
 mortuis, Papa aliud nempe de Virgini-  
 bus cantari voluit, perinde, ac si jam tum  
 eam inter Cœlites collocaret. At Car-  
 dinalis Ostiensis eum monebat, ne prope-  
 raret nimium. Itaque Officium & sacrum  
 pro vita functis celebratum est, atque i-  
 dem Cardinalis de contemptu rerum flu-  
 xarum verba fecit. Non videbatur sa-  
 crum corpus in monasterio extra urbem  
 sito relinquendum; sed intro ad S. Geor-  
 gii templum, ubi sanctus Franciscus pri-  
 mum sepultus fuerat, deferebatur inter  
 tubarum sonos & ritu, quam fieri pote-  
 rat, solennissimo, Papa & Cardinalibus  
 honoris causa præsentibus.

*S. Richardus Cicestriensis moritur.*

Hoc anno celebres duos Episcopos Angliæ mors abstulit Richardum Cicestriensem ac Robertum Lincolniensem. Ille a Papa jussus populos ad crucis militiam pro Palæstina accendere, ab Ecclesia sua duxit initium: & maritimis in locis hoc fungens munere Cantuariam, tum Dorobernium venit jam decem diebus æger. Nec tamen labore abstulit: sed quotidie dicebat e suggestu, & sacramenta Pœnitentiæ, Confirmationis, ac Ordinum administrabat, donec cunctis viribus exhaustus esset. Dorobernii, cum in hospitali domo habitaret, ab ejus Præfecto rogatus, ut cœmeterii ædiculam in honorem S. Edmundi Cantuariensis extructam dedicaret, fecit cum gaudio, ac de his ceremoniis verba faciens, Quamdiu sum Episcopus, inquiebat, ardentem cupi unum saltem templum sancto Domino meo consecrare, priusquam morerer. Deo gratias ago, quod desiderium meum frustratus non sit. Scio mortem imminere mihi, quam in vestras commendo preces.

Altero die sacrum audiens subita animi defectione concidit. Missus in lectum, se inde non surrecturum dixit, jussitque

Sæcul. XIII.  
A.C. 1253.

*Mart. Rom.*  
*3. Apr.*

suas exequias præparari. Reapse triduo post animam efflavit die lunæ 3 Apr. 1253 quinquagesimum sextum circiter ætatis annum, Episcopatus nonum agens, si ab ejus electione ordiamur numerum. Corpus Cicestriam relatum, & in templo Cathedrali ad aram, quam ille S. Edmundo dicaverat, humatum est, ubi deinde multa fiebant miracula. Et vero post annos novem Papa Urbanus IV. cœlestes illi publicosque honores decrevit, nimirum 20 Febr. 1262 & Ecclesia die mortis ejusdem memoriam colit.

§. XLIII.

*Roberti Capitonis de curia Romana querimonie.*

*Id. p. 749.*

Robertus Capito Episcopus Lincolnien-  
sis famam nomenque collegerat puritate vitæ, doctrina, morumque probitatis ac disciplinæ studio: sed hoc amara verborum immoderatione maculavit. Hoc ipso anno, cum præceptum Pontificium, quod justum non censuit, accepisset, Episcopis, qui hoc ipsi miserant, ita scripsit: Apostolicis mandatis reverenter obedio. Sed iis contraria pro sanctæ Sedis honore abnuo. Utrumque me jubet Deus. Apostolica vero mandata non possunt esse talia, ni consentanea sint doctrinæ Apostolorum & ipsius JESU Christi,

Christi, cujus personam Papa in Ecclesia Sæcul. XIII.  
 sustinet. Atqui epistola, quam recepi, A. C. 1253.  
 non convenit Apostolicæ sanctitati. Pri-  
 mo continet clausulam: *Non obstantibus;* p. 750.  
 quæ inconstantiae, imprudentiae, menda-  
 cii, fraudis, diffidentiae radix est ac ever-  
 sio societatis humanæ. Vult sic dicere:  
 Non datur amplius regula certa, si Papæ  
 liceat abrogare per hanc clausulam leges  
 omnes, omnia pacta singularia suæ volun-  
 tati adversa. Ad hæc, pergit ille, post  
 peccatum Luciferi, quod etiam Antichri-  
 sti erit, non datur grandius, quam ani-  
 mas perdere, eas fraudando cura, quam  
 pastor illis debet, nec nisi temporalia e-  
 grege commoda captando. Itaque, cum  
 mali causa sit effectu deterior, certe, qui  
 hos pastores falsos & animarum latrones  
 in Ecclesiam introducunt, his ipsis pejo-  
 res sunt, Luciferoque & Antichristo tan-  
 to propiores, quanto magis illos repel-  
 lere ob majorem authoritatem suam de-  
 bent.

Papa plenam potestatem suam a Chri-  
 sto non accepit nisi ad salutem: igitur  
 nihil præcipere aut agere potest, quod  
 ad peccatum tam detestabile ac humano  
 generi tam perniciosum tendat: hoc esset  
 manifesto abuti authoritate, a folio Chri-  
 sti procul recedere, in inferna pestilentiae  
 cathedra confidere. Et quisquis sanctæ  
 Sedi præstat fidem, nec ab ea per schis-

Sæcul. XIII.  
A.C. 1253.

ma sejungitur, ejusmodi mandatis, vel si a supremo Angelorum Ordine venirent, obtemperare nequit; sed pro viribus debet obfistere. Quam ob rem Venerabiles Domini mei, vobis indico, tantum abesse, ut eis obsequar, ut repugnem etiam: nec ideo contra me vobis acerbum quidquam statuendum est; quod enim facio, ad Papæ ac vestrum honorem spectat.

Quantacunque demum ratione Præful hic ductus fuerit, duritas expressio- num, quæ has implent litteras, ac præfertim ironia seu irrisio aspera, quæ ab initio ad finem ibi regnat, excusari nequit: non enim poterat dubitare, quin mandatum illud revera Papæ fuerit. Et vero is cognita hac epistola graviter offensus Episcopum per Regem Angliæ castigaturus erat. Sed Cardinales dicebant, illum magna existimatione in Francia & Anglia florere. Habetur pro insigni Philosopho, subjungebant; est Latini ac Græci sermonis gnarissimus, Theologiæ Doctor, & concionator puritatis ac justitiæ studiosus, sacrilegi mercatus osor ac vindex. Sic loquebatur inter alios Ægidius Hispanus unus e Cardinalibus ætate provecitissimis. Itaque, ne tumultus fieret, Papæ, ut rem dissimularet, suadebant. Erat sane, addit Matthæus Paris, erat, cur caverent, quia scimus, seditionem aliquando fore. Videntur jam tum prævi-

prævidisse, quid post annos trecentos in Anglia eventurum esset.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1253.

Sub finem æstatis Episcopus Lincolnensis in quodam fundo suo ex morbo gravi decumbens, Joannem a S. Ægidio Ord. Præd. artis medicæ peritum ac Theologiæ Doctorem ad se acciri jussit corpori & animæ laturum opem. Huic viro quodam die inter alios sermones de Papa loquens, Vos fratres Mendicantes, ajebat, viros potentes liberius arguendi gratia hanc paupertatem amplexi, nisi eorum criminibus obsistatis, de his vos reos facitis. Et quia noctes jam erant longæ (nam October inibat) Clericis suis colloqui causa vocatis, de animarum damno Aulæ Romanæ avaritiam consequente mentionem inferens, Christus in Terram venit, inquebat, ut animas sibi adjungeret. Igitur, qui eas perdere non dubitat, nomen Antichristi meretur.

M. Par.  
p. 752.

p. 753.

Ac iterum: Papa per clausulam: *Non obstantibus*, sanctiones suorum antecessorum sine verecundia abrogans, eorum contemptum nimium prodit, & ad antiquandas etiam suas successoribus exemplum præbet. Et rursus: Quamvis plures jam Pontifices Maximi Ecclesiam afflixerint, hic tamen ei gravius imponit jugum, præcipue per foeneratores, quos in Angliam introduxit, ipsis pejores Judæis. Accedit, quod Fratres Prædicatores

res

Sæcul. XIII.  
A.C. 1253.

p. 754.

res Minoresque iusserit assistentes moribundis authores esse per testamentum Palæstinæ præstandi auxilium, & sacrae militiae crucem induendi, ut, seu convalescerent, seu obirent, hæredes ipsorum bona amitterent. Cruce signatos profanis venundat hominibus, ut olim boves ac verveces vendebantur in templo: & indulgentiam metitur pecunia sacro pro bello data. Præterea per litteras mandavit, ut Præsules certis hominibus beneficia, quæ hi voluerint, conferant, quamvis essent extranei, absentes, prorsus indigni, illiterati, linguæ regionis ignari, ita, ut nec e suggestu ad populum dicere, nec sacramentum poenitentiae administrare sciant, immo nec inopes adjuvare, nec viatores recipere possint, cum non resideant.

Ut video (quod mihi novum est) Papa virorum potentium favorem sibi conciliandi causa patitur fieri Episcopum qui nunquam se consecrari curet; solum ut proventus acquirat, & simul priores porro accipiat. Tangebatur sine dubio Philippum Sabaudum Archiepiscopum Lugdunensem. Excurrebat in vitia Romanæ Curia, in avaritiam maxime ac impuritatem: addebatque, illam, ut hauriat omnia, sibi attribuere bona morientium absque testamento, & ut expilet liberius, rapinarum partem Regi cedere.

Quere

Querebatur etiam, quod Papa ad colli- Sæcul.XIII.  
 gendas pensiones Fratres Mendicantes A. C. 1253.  
 litteris ac virtuti deditos adhiberet, abu-  
 tens horum obedientia, ut eos cogeret re-  
 lictos homines profanos revisere; & quod  
 eosdem magna instructos potestate in An-  
 gliam mitteret tanquam Nuncios perso-  
 natos, quia, nisi Rex posceret, Legatos,  
 qui hoc nomen induerent, eo mittere  
 haud posset.

Tales erant Episcopi Lincolnienfis  
 querimoniam, revera acerbam nimium, sed  
 & nimis fundatam, ut docent scripta illius  
 temporis, & Papæ ipsius epistolæ. Na-  
 turæ debitum reddidit die S. Dionysii 9  
 Oct. 1253 sanctitatis fama clarus, eoque  
 moriente miracula facta esse dicebantur.  
 Superfunt aliquot ejus operatypis excusa Cave. Sæc.  
 parum memorabilia, & quædam manu- Schol.p.497.  
 scripta.

Ex indignis rebus, de quibus Anglia to. II. conc.  
 querebatur, aliquas in Francia eodem p.707.10.12.  
 tempore, sed ab Episcopis factas legimus. 13.28.29.  
 Distrahebant beneficiorum fructus an-  
 nuos, ut augerent numerum Canonico-  
 rum, & instituebant aliquos, quibus an-  
 nonam sacram primo vacaturam destina-  
 bant. Absque necessitate petebant a  
 Clero subsidia: parochias pensionibus o-  
 nerabant ita; ut Curioni sacro vix resta-  
 ret, unde viveret. Conferebant illas ju-  
 re fiduciario possidendas Clericis jam  
 alias

Sæcul. XIII.  
A.C. 1253.

alias nomine proprio habentibus, & quasdam mensæ suæ adjungebant, proventibus aliunde satis instructæ. Atque ita novimus ex decretis concilii, quod hoc anno die Martis post festum S. Andreae scilicet 2 Decembris Salmurii ad S. Florentium Petrus Lambaliensis Archiepiscopus Turonum cum Episcopis sibi obnoxiiis celebrabat.

## §. XLIV.

*Ecclesia Lithuana.*

*Rayn.*  
1251. n. 46.  
47. &c.

*Baudrand.*  
to. I. p. 582.

**M**endogo seu Mindovo Lithuaniae Principi, cum quasdam terras an. 1251 Equitibus Borussiae celsisset, hi suaserant, ut Regis titulum obtinendi causa in Papæ clientelam se conferret. Itaque solennem ad Papam Innocentium Legationem misit, qui ei scripsit in hanc sententiam: Ut multo cum gaudio audivimus, divina te illustrante gratia cum magna ethnicorum multitudine salutis fonte tinctus, te, tuum Regnum & omnia bona tua Apostolicæ Sedis tutelæ penitus submisisti. Quamobrem votis tuis annuentes, sub jurisdictionemque S. Petri recipimus Regnum Lithuanum, cunctasque terras, quas ethnicorum manibus eripuisti, aut deinceps adimes; ac te cum tua conjuge, liberis, ac familia in fidem sanctæ Sedis accipimus. Actum Mediolani  
16 Jul.

16 Jul. 1251. Luthavia seu Lithovia, ut in illa regione dicitur, est eadem, quæ Lithuania. Sæc ul. XIII.  
A. IC. 1253.

Papa simul per litteras Henrico Episcopo Culmensi præcepit, ut & Mindovo coronam imponeret Regiam, & postquam is Ecclesiam Cathedralem condidisset, dotassetque fatis, pro Lithuania Episcopum consecraret, qui Papæ soli esset subiectus, & post sui consecrationem ipsi mox juraret fidem. Etiam Episcopo Rigensi, duobusque aliis ei vicinis Papa scripsit, ut novum Regem in adducendis ad Christum Lithuanis adjuvarent. Biennium abiit: nec tamen Episcopatus institutio executioni data erat: & an. 1253 Papa eam denuo mandavit Archiepiscopo Livoniæ ac Borussiae, qui, priusquam epistolam Papæ acciperet, in Episcopum Lithuaniae consecraverat quendam Ordinis Teutonici Sacerdotem Christianum nomine, & ab eo juramentum fidelitatis suo ac Ecclesiae suæ nomine receperat; id quod Papæ vehementer displicebat. Hoc enim jusjurandum declaravit nullum, & Episcopum Lithuaniae tanquam S. Petri propriae debere sanctæ Sedi soli obnoxium esse affirmavit per litteras, quas dabat 3 Sept. 1254. Rayn. n. 48.  
49.  
  
n. 50.  
  
Rayn. 1253.  
n. 26.  
Id. 1254.  
n. 27.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1254.

§. XLV.

*S. Ludovici factorum continuatio.*

Sanctus Ludovicus absolutis Joppes munitionibus, etiam Sajettam seu Sidonem operibus firmare statuit, eoque profectus est die S. Petri 29 Junii 1253. In via deliberabat, an Naplosam, quæ vetus Samaria est, caperet? Suadebant hoc Templarii, & regionis Proceres; sed ipsum eam adire nolebant, si libertatem vitæ amitteret, Palæstinam perditam esse causati. Cum Rex a suis abesse in animum haud posset inducere, molitio omisa est. Sidonem adveniens comperit, corpora ter mille circiter Christianorum, quos Saraceni tribus vel quatuor abhinc diebus trucidassent, in planitie mansisse inhumata. Illuc, antequam cibum sumeret, se contulit comitante se Legato Odope Castro-Rodolphino, quem ibi cœmeterium quoddam solenni precatione lustrare, tum cadavera eo deferri iussit, quibus colligendis & in saccos mittendis ipse operam dabat, non prohibitus fœtore tanto, ut servi & pauperes mercede conducti ægerrime id facerent. Per quinque dies hunc Rex laborem continuabat, non obstruens nares, ut permulsi alii, nec signa fastidii edens. Mane post sacrum petebat locum, & ad Equites suos,  
Venite,

*Joinville*  
p. 105.  
*Duchesne*  
p. 458.  
*Sanut.*  
p. 122.

*Duch. p. 360.*  
404. 469.  
*Joinv.*  
p. 108.

Venite, ajebat : sepeliamus Christi Mar-  
tyres , qui plus, quam nos, pro eo pertu-  
lere. Inferias illis solenni ritu dandas  
curavit.

Sæcul. XIII.

A.C. 1254.

Per annum reliquum munienda Sido-  
ne occupatus , hoc interim spatium e Gal-  
lia tum per epistolas, tum per nuncios ob-  
id solum missos intellexit, ex eo tempore  
quo Regina mater obiisset, magnum Re-  
gno suo periculum ab Anglia & Germa-  
nia imminere. Quapropter reditus con-  
silia agitans, accersitum Legatum suppli-  
cationes publicas habere jussit, ut Deus,  
quid vellet, ipsum doceret: ac denique  
statuit, per hebdomades verni jejunii iter  
apparandum curare , & die Paschatis 12  
Aprilis discedere. Propositi conscius Le-  
gatus die quodam Dominum Jonavillæ  
domum suam & in vestiarium duxit, ibi-  
que obortis sibi lachrymis, manibus pre-  
hensum sic alloqui cœpit: O Prætor!  
gaudeo, ac Deo gratias ago, quod e tot  
periculis cum Rege evaseris. Sed &  
maxime doleo, quod bonam & sanctam  
societatem vestram amittam, & ad Au-  
lam Romanam cum hominibus tam per-  
fidis, quales habeo, redire cogar. De-  
crevi post abitum vestrum unius anni spa-  
tio Ptolemaide manere, & quod pecuniæ  
mihi superest, in muniendum ejus sub-  
urbium infumere, nequid objici mihi  
possit.

Duch. p. 360.

Joinv.  
p. 110.

Histor. Eccles. Tom. XXI.

H Di

Sæcul. XIII.

A.C. 1254.

*Id.* III.*Matth. Par.*

p. 759.

*Gaufr. c. 27.**ap. Duch.*

p. 457.

Divulgato Regis proposito, Patriarcha Hierosolymitanus ac regionis Proceres eum adierunt, & pro beneficiis, quæ muniendo Ptolemaidem, & Saidam, Cæsaream, Joppen reædificando Palæstinæ dedisset, actis demisse gratis, Perbene videmus, inquebant, tuam hic commorationem, o Rex, Hierosolymitano Regno haud posse amplius esse utilem. Quocirca tibi suademus, ut Ptolemaidem petas, ut per tempus verni jejunii reditum tuum appares. Rex huic parens consilio Ptolemaide usque ad suum discessum mansit. Suavissimo ei solatio fuit per tempus suæ in Palæstina præsentia quam plurimos Saracenos Christo adjunxisse. Ejus mira in rebus adversis patientia, minime flexibilis in proposito constantia, firmitas fidei, & amor Religionis, cujus impulsu relictis Regni sui deliciis se tot periculis exponebat, illos permoverat, ut salutem ei suam commendarent. Rex apertis exceptos brachiis per Fratres Prædicatores Minoresque solícite informari curabat, qui religionis Mahometanæ ineptias, & Christianæ veritatem illis ostendebant. Vitali aqua lotis ad vitam necessaria largiebatur. Multos cum uxoribus ac liberis in Franciam avexit: aliquos præmisit: omnibus pensiones, quamdiu viverent, assignavit. Emit etiam complura mancipia tum sectæ Mahometanæ,

tanæ, tum falsis addicta Numinibus, & Sæcul.XIII.  
 parem eorum curam gessit. His a Sara- A.C.1254.  
 cenis probabiliter tot familiæ, quibus id  
 nomen est, veniunt.

Tandem die Veneris 24 Aprilis an. p. 454.  
 1254 universi populi, Ordinis Nobilium, Joiv.p.111  
 Præfulumque ad navim usque comitan-  
 tium faustis precationibus cumulatus  
 Ptolemaidis portu solvit. Legatum cum  
 magno pecuniæ & copiarum subsidio re-  
 liquit, obtinuitque ab eo copiam in nave  
 SS. Sacramentum asservandi, ut ægrotis,  
 sibi, suisque, quoties par esse duceret, sa-  
 cra communio præberetur. Hoc Legati  
 permisso opus erat, quia cæteri peregrin-  
 nantes, quantacunque dignitate polle-  
 bant, id facere haud consueverant. Rex  
 vas Evcharisticum in navis loco dignissi-  
 mo poni, & ibi tabernaculum ex auro &  
 serico contextum cum ara erigi jussit, ad  
 quam conversus singulis diebus officium  
 divinum solenniter celebratum, scilicet  
 cunctas preces horarias & sacrum exce-  
 pto Canone audiebat: sed Sacerdos ac  
 ministri ejus, prout dici officium postula-  
 bat, vestiti erant.

§. XLVI.

*Episcoporum Cypri cum Latinis con-  
 troversia.*

Interim Papa Innocentius Legato Odoni  
 Episcopo Tusculano de Græcis Cypriis  
 H 2 man-

Sæcul. XIII.  
A.C. 1254.

ap. Rayn.  
1240. n. 45.

mandatum misit. Latinus Nicosiæ Archiepiscopus a Papa Gregorio IX. jussus erat prohibere, nequis ex Episcopis sibi obnoxiiis aliquem Sacerdotem Græcum ad aram sacris operari pateretur, qui non Ecclesiæ Romanæ obedientiam juratus addixisset, atque omnem hæresim ejurasset ac singulariter proterviam, qua Græci Latinis conversionem panis azymi in corpus Christi exprobrare solerent. Hoc Papæ præceptum Archiepiscopus convocatis provinciæ suæ Græcis Episcopis prælegi curavit ac exponi. Qui contra id multa objiciebant: sed palam obsistere non ausi, ejus exemplum seu apographum & deliberandi spatium postulabant. Interim e templis ac cœnobiis, quidquid poterant, asportantes Abbatibus, monachis ac præcipuis Sacerdotibus Græcis comitantibus clam relicta Cypro in Armeniam se receperunt. Papa, quid hac in re fieri vellet, ab Archiepiscopo Latino consultus, Sacerdotes ac monachos reliquos e Regno pelli, eorumque templa & monasteria Sacerdotibus Latinis committi jussit per litteras, quas dabat 13 Apr. an. 1240.

Rayn. 1247.

n. 30.

Vading. eod.

n. 7.

Rayn. 1250.

n. 40. 41.

Post annos septem Papa Innocentius IV. Laurentium Fratrem Minorem, quem expiationibus præfecerat, cum ampla Legati potestate misit, ut Græcos cæterosque Schismaticos ad Ecclesiæ

siæ

fiæ Romanæ gremium reduceret: qui Græcum Cypri Archiepiscopum, ut Latinorum Præfulum infectationi cederet, ultro exulem revocavit. Is Legatum novum, Episcopum Tusculanum, cum S. Ludovico illam in insulam advectum adiit, & inter ejus manus Ecclesiæ Romanæ obedientiam cum Suffraganeis suis promisit. Tum ad Papam libellum miserunt, quo petebant

Sæcul. XIII.  
A.C. 1254.

1. Ut Archiepiscopus Græcus ac ejus successores haberent libertatem quatuordecim suæ nationis Episcopos consecrandi, eo quod ab omni memoria tot Episcopatus in Cypro essent. 2. Ut in officio erga Romanam Ecclesiam manentes, jurisdictioni Præfulum Latinorum haud obnoxii eadem cum illis libertate gauderent. 3. Ut in suum Clerum ac populum jurisdictionem, quatenus ad spiritualia spectaret, ordinariam exercerent, sicut ante sejunctionem ab Ecclesia Romana, & sicut Præfules Latini, cum plena libertate accipiendi Ordines, & vitam monasticam profitendi sicut ante, quam regio Latinorum ditioni subjecta esset. 4. Ut monachi Græci decimas terrarum, quas suis manibus vel impensis colerent, Episcopis Græcis, non Latinis darent. 5. Ut a judiciis, quæ Græci Episcopi tulissent, ad Papam quidem vel ad ejus ibi Legatum, qui protegere illos deberet, non

H 3

vero

Sæcul. XIII. vero ad Episcopos Latinos appellare licitum esset. 6. Ut Papæ placeret abrogare omnia, quæ Legatus Pelagius Episcopus Albanensis contra illos in pœnam ipsorum contumaciæ statuisset.

Papa se de facti circumstantiis non satis edoctum ratus, ut responsum decretorium daret, Legato Odoni Episcopo Tusculano, qui præsens accuratius rem cognoscere posset, causam commisit cum plena potestate omnia ex consilio Præsulum aliorumque sapientium virorum componendi, prout ad salutem animarum, ad Ecclesiæ pacem & incrementum obedientiæ catholicæ magis expedire crederet.

## §. XLVII.

*Græcis Cypriis præscripta agendi ratio.*

*Rayn. 1254.* Post quadriennium, nempe 5 Martii an. 1254 Papa eidem Legato fufum missit præscriptum, quo tolleretur controversia Archiepiscopum Nicosiæ ac ejus Suffraganeos Latinos inter & Græcos Cypri Episcopos Ecclesiæ Romanæ obnoxios. Legatus illi significaverat, quænam Latini jura sibi assererent, & qualia Græci responsa darent. Simul decisionem poscenti Papa satisfecit per hanc præscriptionem, quæ præcipue ad ritus Græcos

Græcos in administrandis Sacramentis *Sæcul. XIII.*  
 pertinens viginti sex puncta complectitur. A.C.1254.  
 Eorum summam vide!

Græci sequentur morem Romanæ Ec- *Art. 1.*  
 clesię in unctiōibus baptismalibus. Eo- *2.*  
 rum consuetudo catechumenos per to-  
 tum corpus ungenti tolerabitur, si abs-  
 que offendiculo aboleri nequeat. Frigi- *3.*  
 damne an calidam aquam ad baptismum  
 adhibeant, nihil interest. Episcopi soli *4.*  
 fonte lustrali tinctos sacro chrismate in  
 fronte signabunt, id est, confirmabunt ad  
 arcana certamina. Nempe apud Græ- *v. Eucholog.*  
 cos hoc Sacramentum una cum baptis- *Goar. p. 367.*  
 mo ac sæpissime per Sacerdotem admi-  
 nistratur. Quivis Episcopus in templo *5.*  
 suo die Coenæ Domini sacrum chrisma  
 ex olivarum oleo & opobalsamo confice-  
 re, aut etiam tolerari poterit, si Græci *Conc. p. 628.*  
 velint, ut pro veteri more suo Patriarcha  
 id faciat cum Archiepiscopis, vel Archie-  
 piscopus cum Suffraganeis suis. Sacer- *6. 7.*  
 dotes haud contenti erunt confitentibus *v. Goar.*  
 de se reis solam unctiōem pro satisfac- *p. 432.*  
 tione injungere: sed extrema unctiō mo- *Arcud.*  
 ribundis dabitur.

Ad sacrificium altaris quod attinet, *8.*  
 Græci poterunt sequi suam consuetudi- *Goar. p. 148.*  
 nem illi aquam frigidam vel calidam ad-  
 miscendi, dummodo credant, consecra-  
 tionem pariter cum utralibet fieri. Scili-  
 cet aquam ferventem in calicem fundunt

- Sæcul. XIII. ad significandam Spiritus Sancti virtu-  
 A.C. 1254. tem. Non vero debent, addit Papa, Ev-  
 9. charistiam die Coenæ Domini vel alias  
 consecratam ultra quindecim dies ægris  
 reservare, ne alteratis speciebus ad fu-  
 mendum minus habilis fiat, quamvis Sa-  
 cramenti veritas & efficacia per diu-  
 rnitatem temporis haud evanescat.
10. 11. Ni prius, quam Psalms antelucanos  
 recitaverint, vel post nonam sacrum fa-  
 ciant, observabunt ejus horam & modum  
 pristinum. Intelligo preces antelucanas,  
 13. 14. quæ a nobis laudes, a Græcis ὄρθρος vo-  
 cantur. Calix erit aureus, vel argenteus,  
 aut saltem stanneus, altare mundum cum  
 Evcharistico linteolo candido. Mulieres  
 ad aram non servient.
15. Græcis licebit suam tenere consuetu-  
 dinem verni jejunii sabbatis duplici refe-  
 ctione corpora curandi. Sacerdotes con-  
 juges confitentibus noxas remittere, sed  
 16. 17. Episcopi aliis quam Parochis hanc pote-  
 statem dare poterunt. Nimirum Græci  
 monachis quam Sacerdotibus maritis sa-  
 cras confessiones faciunt. Non dubitan-  
 dum, quin simplex puellæ vitiatio pecca-  
 tum sit mortiferum. Diserte volumus, ut  
 18. in posterum Episcopi Græci septem Or-  
 dines sacros ex more Romanæ Ecclesiæ  
 conferant: quia tamen aliter initiati nu-  
 merum ingentem conficiunt, tolerabun-  
 tur. Ut jam notavi, Græci tres Ordines  
 19. Mino-
- Sup. lib. 76.*  
*§. 25.*

Minores Ostiarii, Exorcistæ, atque Acolyti non agnoscebant.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1254.

Nuptias secundas vel tertias ab Apostolo permittas Græci non culpabunt.

Mon. Orain.  
exerc. 14. c. 1.

Sed matrimonium non contrahent intra gradum propinquitatis, quem ipsi octavum, nos quartum dicimus. Illos tamen, qui secus egerunt hactenus, per gratiam legis conjunctos esse patimur. Sine satisfactione pro gravibus peccatis debita, vel cum levioribus noxis egressas e corporibus animas purgari, ac Ecclesiæ meritis adjuvari posse cum credant Græci, volumus, ut purgationis locum nobiscum purgatorium vocent, quamvis Doctores suos id ei nomen dedisse negent.

20.

22.

Papa Episcopo Tusculano præcipit, ut hoc præscriptum Episcopis Græcis exponi curet, & accuratam ejus observationem injungat; nec minus, ut Archiepiscopum Nicosiæ ac Suffraganeos ejus nullam Græcis molestiam contra illud facessere jubeat.

§. XLVIII.

*S. Ludovici reditus in Franciam.*

Sanctus Ludovicus cum classe rediens menses duos ac medium versabatur in mari, & per hoc spatium nova pietatis suæ ac in proximum charitatis specimina dabat. Ter quavis hebdomade in

Gaufr. c. 23.

H 5

nave

Sæcul. XIII.

A C. 1254.

c. 29.

c. 30.

*Joiv. p. 112*

nave concionem haberi, & tranquillo mari nautas singulariter de fide ac peccatis edoceri curabat, id hominum genus rarissime verbum Dei audire reputans. Hos omnes præterea selectis consulto Sacerdotibus conscientiaë vulnera patefacere voluit, in sermone, quem hac de re ipse instituit, memorans, eos sæpe in periculo mortis esse: atque inter alia dicebat: Si navis interim, dum vestrum aliquis criminum virus evomet, illius opera indigebit, ipse seu rudenti trahendo, seu alii labori admovebo manus. Hæc adhortatio non caruit fructu: & multi nautæ scelerum farcinam deposuere, quod per annos plures non fecerant. Ægrorum quoque curam Rex magnam gerebat, præsertim, ut Sacramenta acciperent. Tertia nocte, postquam Ptolemaïdem reliquerat, navis ejus prope Cyprum in arenarum cumulos incurrit, ita, ut magnopere periclitari videretur. Rex antearam evcharisticam stratus calidas ad Deum preces fundebat: & orto die perlustrata navi compertum est, illisum decem & octo circiter pedes trabis imæ ac præcipuæ seu fundamenti abripuisse. Nautæ, quid agendum esset, rogati, aliam in navem transeundum dicebant, timendumque ut præsens adeo concussa mare altum sustineret. Convocato consilio sequendam nautarum sententiam putante,

Rex

Rex iterum accitis instabat hunc in mo-  
 dum: Per fidem mihi debitam quæro:  
 si navis hæc esset vestra & plena merci-  
 bus, an exscenderetis? Non, ajebant om-  
 nes una voce: mallems periculis vi-  
 tam nostram exponere, quam perdere na-  
 vim, in qua quadragies vel quinquagies  
 mille libras Francicas amitteremus. Tum  
 Rex: Hæc navis quingentos aut sexcen-  
 tos homines continet, qui, si exscendam,  
 exemplum sequentur meum, & in Cypro  
 manebunt sine spe reditus in patriam  
 suam. Malo vitam meam, Reginae, ac  
 nostrarum trium prolium Deo committe-  
 re, quam tanto hominum numero tale  
 damnum creare. Eventus rei sapien-  
 tiam suscepti consilii declaravit. Nam  
 Oliverius Termesensis Procerum, quos  
 hæc navis vehebat, potentissimus, ultra  
 sesqui annum Regi se denuo adjungere  
 non potuit.

Tandem Ludovicus salvus & sospes  
 Provinciam tota cum classe sua attigit,  
 & in portum Areensem exscendit die sab-  
 bati 11 Julii an. 1254. Ibi audivit men-  
 tionem fieri fratris Hugonis Franciscani  
 per conciones suas ea in regione tantum  
 sibi nomen colligentis, ut ingens utrius-  
 que sexus multitudo ipsum pedibus se-  
 queretur. Coram Rege dicere jussus  
 primo sermone suo invectus est in Reli-  
 giosos, quos magno numero in Regis co-  
 mitatu

Sæcul. XIII.

A.C. 1254.

p. 113.

Joinv. p. 116

p. 117.

**Sæcul. XIII.**  
**A. C. 1254.**

mitatu esse cernebat. Negabat eos  
 commeare viam salutis, quia sicut piscis  
 extra aquam vivere, sic Religiosus extra  
 cœnobium suum innocentiam conserva-  
 re non posset; & lautus, quo in aula u-  
 teretur, victus continua illi tentatio es-  
 set contra severitatem instituti sui. Re-  
 gem dein monebat, ut justitiam coleret,  
 si pace frui, & a populo suo amari vellet.  
 Legi divinas litteras, inquiebat, & reli-  
 quos sacræ Scripturæ libros. Sed nus-  
 quam vidi vel Christianos vel ethnicos a  
 suo defecisse Domino nisi ob læsam æqui-  
 tatem. Tunc temporis non modo libri  
 Canonici, sed omnia Ecclesiasticorum vo-  
 lumina Scriptura sacra vocabantur. Rex  
 sæpius orando studuit per tempus suæ  
 in Provincia commorationis hunc virum  
 bonum apud se tenere. At is unico die  
 cum illo fuit, & abiit; Massiliæ postea in  
 existimatione sanctitatis mortuus.

**p. 118.**

**Tilmont.**

**to. 2. p. 520.**

**Sup. lib. 54.**

**§. 34.**

**Sup. lib. 69.**

**§. 14.**

Olbia Aræ Rex Aquas Sextias ve-  
 nit, inde ad speluncam sacram iturus, u-  
 bi S. Magdalena diu solitaria habitasse,  
 ejusque corpus haberi dicebatur. Sic  
 asserit S. Ludovici hoc in itinere comes  
 Jonavillæ Dominus: idque primum, quod  
 sciamus, testimonium est illius opinionis,  
 S. Magdalensæ ossa in Provincia asservari.  
 Ut legisti, anno 898 Imperator Leo Phi-  
 losophus ea Constantinopolim deferri jus-  
 sit: & an. 1146, immo, ut brevi leges,  
 etiam-

etiamnum S. Ludovici tempore Veselii in Burgundia esse credebantur. Is per Occitaniam & Arverniam Parisios reversus, ad S. Dionysii die Dominica 13 Sept. accessit, ibique texta serica, grati animi monumenta, obtulit. At cruce signatus mansit, ut ostenderet, se votum perfolvisse suum sibi non videri, sed tantum ejus executionem pro aliquo tempore suspendisse.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1254.  
Not. Joinv.  
p. 101.  
Duchesne  
p. 362.  
M. Par.  
p. 766.

§. XLIX.

*Concilium Albigense.*

Rex in Occitaniam transiens concilium haberi voluit, quod eodem anno Zoenius Episcopus Avenionensis, & sanctæ Sedis Legatus Albigam convocavit. E Provinciis Narbonensi, Bituricensi, & Burdigalensi multi convenerant Episcopi, alique Præfules: quorum ex consilio edidit unum & septuaginta Canones, tum ad extirpandam hæresin, tum ad Cleri correctionem spectantes. De hæreticis fere tantum repetuntur decreta Concilii Tolosani 25 abhinc annis nempe 1229 celebrati. Id solum observo, hoc Albigense hæreticos, qui tanquam per vim ad sanam adducti fidem includebantur, vocare *Immuratos*, eo quod reapse quatuor inter muros compingebantur. Episcopi & Parochi jubentur populo

to. II. conc.  
p. 720.  
ex to. 2. Spic.  
p. 630.  
Sup. lib. 79.  
§. 38.  
c. 27. 28.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1254.  
pulo Christianæ doctrinæ capita expone-  
re, ac puerulos Symbolum Apostolicum,  
Precationem Dominicam & Salutatio-  
nem Angelicam docere, id est, primis fi-  
dei rudimentis imbuere. Prohibetur, ne  
Episcopi, cæterique Superiores pro abso-  
lutione a censuris quidquam exigant;  
ne ii, qui beneficia ecclesiastica conferunt,  
pensionem poscant, vel pactionem ullam  
faciant; ne Clerici in ludis equestribus  
scutati hastis certent.

§. L.

*Epistola decretoria de litterarum  
studiis.*

*M. Paris.*  
*p. 736.*  
*Addit. p.*

Romæ Papa Innocentius magni momen-  
ti sanctionem de litterarum studiis  
ad cunctos Præsules Franciæ, Angliæ,  
Scotiæ, Valliæ, Hispaniæ, ac Hungariæ  
scripsit in hunc modum. Ut dolentes  
comperimus, Clerici omnes omnia Phi-  
losophia (ut jam nihil de Theologia dica-  
mus) legibus profanis studia impendunt  
sua; & quod pejus est, in plerisque regio-  
nibus Præsules ad beneficia & dignitates  
ecclesiasticas solos hodie Professores Ju-  
ris vel Advocatos promovent, removen-  
dos potius, nisi alia eos ratio commen-  
det. Ita, qui Philosophiæ dant operam,  
premuntur miseriis, non habentes, quod  
rodant, & tam male tecti, ut se monstra-  
re

re non audeant: dum Advocati cum Sæcul.XIII.  
 pompa equis belle ornatis vehuntur, fe- A.C.1254.  
 rico vestiti, argento, auro, gemmis splen-  
 didi, & profanorum hominum indignatio-  
 nem non sibi duntaxat, sed toti Ecclesiæ  
 accientes.

Horum insolentiam deprimendo ut  
 attollamus studium Theologiæ, aut Phi-  
 losophiæ saltem, quæ pietatis quidem  
 expers ad scientiam ducit, & ab avaritia  
 secludit, præcipimus, ut in posterum nec  
 Professor Juris, nec Advocatus, quanta-  
 cunque legum peritia excellens ad di-  
 gnitates vel beneficia ecclesiastica pro-  
 moveatur, nisi artes liberales didicerit,  
 probosque mores habeat. Siquis Præ-  
 fulum secus agat, provisio erit nulla; &  
 ipse tunc quidem conferendi copia care-  
 bit. Si rursus contraveniat, erit, cur  
 officii sui jacturam metuat. Et quia his  
 in regnis profanorum causæ per ipsorum  
 consuetudines, non per leges Imperii de-  
 ciduntur; ac præterea causæ ecclesiasti-  
 cæ per Canones sine legum subsidio ju-  
 dicari possunt: prohibemus, ne deinceps  
 leges profanæ his in Regnis doceantur,  
 dummodo Reges ac Principes hac de re  
 nobiscum sentiant. Anno 1219 Papa c.28. extra.  
 Honorius III, cum jus civile Parisiis tra- de Privileg.  
 di nollet, id per celebrem decreta-  
 lem *super specula* vetuerat, cujus inci-  
 tamenta posterior hæc melius declarat.

§. LI.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1254.

§. LI.

*Ecelinus a Papa proscribitur.*

*Mon. Pad.*  
*p. 594.*

Per duos circiter annos quidam Fide-  
rici partium Centurio Ecelinus de  
Romano dictus in Marchia Tarvisiana in-  
auditam exercebat crudelitatem. Ini-  
tium fecit exeunte Augusto anni 1252 e-  
necando Carnorolam Equitem Veronen-  
sem, quem conjurationis contra se initæ  
caput esse putabat, & Veronæ, Patavio,  
Vicentiæ, omnique regioni magnam in-  
ferre cladem perrexit. Equites, cives-  
que spectabiles turmatim occidebantur  
in locis publicis; concisa deinde in fru-  
sta cadavera colligebantur ignibus absu-  
menda. Amici, propinqui, fratres, ut  
tyranni gratiam sibi conciliarent, alteri  
alteros prodebant, vel suismet jugula-  
bant manibus, ipsi post paucos dies ejus  
jussu perempti. Infantibus Nobilium ex-  
cæcatis fame in carceribus pereundum  
erat, ubi etiam multæ matronæ virgines-  
que nobiles moriebantur. Quotidie ali-  
qui expirabant in cruciatibus; clamores-  
que lamentabiles diu noctuque implebant  
aures. Nemo tamen publice de tot ma-  
lis audebat conqueri: Ecelinum lauda-  
re, justum, prudentem, patriæ conserva-  
torem dicere, vitam ei ac victoriam pre-  
cari opus erat: ac ne his quidem blan-  
ditis

ditiis agebatur quidquam: semper æque crudelis non ætati, non sexui, non statui parcebat: Clerum, ut populum, Religiosos ut profanos tractabat. Episcopatum, Abbatiarum, cæterorumque beneficiorum bonis occupatis ad perpetranda facilius crimina sua utebatur. Nec sacra oratio vel confessio, nec accessus templorum, nec aliud exterius pietatis exercitium fiebat amplius.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1254.

Papa Innocentius sæpius admonitum coram se comparere iussit tanquam suspectum de hæresi. Ecelinus per nuncios se obtulit ad jurandum se credere omnia, quæ crederet Ecclesia. Sed Papa rejecta hac purgatione, eum debere se de tali crimine per se ipsum purgare asseruit. Tandem post plures comperendinatus eum Romæ solenni ritu die Cœnæ Domini 9 Aprilis 1254 per sacram detestationem jugulavit. Sententia dicit, eum sub humana specie ferocis bestię cor habere; sitire sanguinem Christianorum, humani generis hostem esse implacabilem; ac ejusmodi opprobria multa continet. Denique tanquam hæreticum manifestum declarat diris devotum, & cunctis hæreseos pœnis subiectum Papa per hanc sententiam sibi vendicabat jus decernendi de bonis ejus. Ac ea reapse adjudicavit Alberico ejus fra-

Rayn. 1251.  
n. 36.

to. II. Conc.  
p. 610.

ap. Rayn.  
1254. n. 35.

Raynald.  
n. 40.

Hist. Eccles. Tom. XXI.

I tri

Sæcul. XIII. tri tunc Ecclesiæ partibus addicto. Dif-  
 A. C. 1254. ficultas erat in adeunda possessione.

§. LII.

*Rex Conradus obit.*

Papa etiam Regem Conradum Imperatoris Friderici filium accersiverat, ut ad varia accusationis capita de fide ac moribus responderet: ac Legati, quos hic Princeps Romam miserat, eum publice defendebant. Tum Papa rogantibus Joanne Comite Montfortio, & Thoma Sabaudia Comite dilationem vadimonii Conrado dedit usque ad medium jejunium vernum hujus anni 1254. At Rex in Apulia suos progressus continuabat, cum mors eum abstulit 21 Maji, viginti sex circiter annos habentem. Reliquit filium Conradum seu Conradinum nomine, annos duos natum, qui cum Regina Elisabetha matre sua in Germania permanserat. Hunc moribundus Bertoldo Marchioni Honebrucensi, quem in Italia secum habebat, tanquam Tutori commendavit, Apostolicæ Sedis fidei committendum. Itaque Bertoldus Legatos ad Papam misit: qui pupilli defensionem suscepit ea lege, ut Ecclesia Romana mox adiret possessionem Siciliae, donec infans satis adultus esset, servandæ. Id Papæ docet epistola, qua declarat, se Conradino

*Anonym.  
 ap. Ughell.  
 to. ult. p. 765.*

*p. 766.*

*ap. Rayn.  
 n. 47.*

dino regnum Hierosolymitanum, Sueviam, & omnia jura, quæ ad Siciliam vel alio habere possit, conservaturum. Et permittimus, adjungit, ut omnes regni hujus incolæ nobis jurantes fidem addant: Salvo jure parvuli Conradi.

Sæcul. XIII.  
A. C. 1254.

Interim Anagniam Papa venit pro-  
pius res Siculas curaturus: ibique die SS. Virginis in cœlum assumptæ 15 Aug. Marchionem Honebrucensem, Manfredum, & partes eorum edicto publico solenniter moneri jussit, ut usque ad Natalem SS. Virginis 8 Sept. liberam Siciliae possessionem Ecclesiae Romanæ relinquerent, alioquin proscribendi, omnesque dignitates & alia jura amissuri. Elapso tempore, cum nondum fecissent satis, Papa in epistola ad Guilielmum Batavum Romanorum Regem 12 Sept. data declaravit, eos in has poenas omnes incurrisse.

Id. n. 52.

Eodem tempore Legatum in Siciliam misit Guilielmum Fiescum Cardinalem Diaconum tit. S. Eustachii, filium fratris sui ætate florentem. Huic exercitum dedit & potestatem amplissimam, nimirum Ecclesiae Romanæ nomine sumendi mutuum, quantum videretur; & accipiendi proventus omnes Cathedralium, & aliarum Regni Ecclesiarum vacantium, immo & illarum, quæ non vacarent quidem, quarum tamen Præsules Ecclesiae Romanæ rationibus non satis confule-

Sæcul. XIII.

A. C. 1254.

rent. Guilielmus per obtentam facultatem poterat etiam novas collectas imponere ac exigere; monetam novam cudere; privare bonis cunctos Friderici ac liberorum ejus fautores, ac cæteros, qui commoniti ad obsequium Ecclesiæ debitum non redirent; omnes fundos Coronæ proprios revocare; cunctas in prædia beneficiaria inductiones ac reliquas concessionis retexere; denique omnia rebellium deposita occupare. Tantam jurisdictionem 2 Sept. accepit.

## §. LIII.

*Manfredus se Papæ subjicit.*

p. 769. **M**anfredus Conradini patruus cedente Marchione Bertoldo ejusdem tutor ac regni Gubernator factus, cum magnam Apuliæ Siciliæque partem propendere ad obedientiam Papæ præstandam cerneret, eum humaniter in regnum admittere quam expectare maluit, donec pervim intraret. Igitur edocuit Papam, se paratum esse ad ipsum excipiendum: & p. 770. Innocentius Anagninæ 27 Sept. ad illum diploma dedit, quo eum in gratiam recipit, & ratum habet decretum, quo ei pater suus Fridericus Imperator principatum Tarentinum, & comitatus Gravinensem ac Ticaricanum tribuerat. Etiam Rayn. n. 57. vicarium suum in magna regni parte illum

lum constituit. Ingresso proin Papæ Manfredus Ceperanum usque obviam factus, ejusdem equum usque ad pontem Liris freno ducebat. Papa Capuæ a vigesimo Octobris per tempus aliquod commoratus Neapolim petiit, ubi 3 Novembris erat.

Sæcul. XIII.  
A.C. 1254.

n. 63.

n. 64.

§. LIV.

*Contentio inter Universitatem Parisiensem ac Dominicanos.*

Hæc civitas fuit, in qua celebres dabat litteras, quibus Religiosorum Mendicantium privilegia constringebat. Rei occasionem exponere decet. Anno 1252 Theologiæ Doctores eam tunc Parisiis tradentes sanxerant, ut in posterum nullus Religiosus, qui collegium non haberet, ad societatem ipsorum admitteretur, atque ut Doctorum multitudinem per codicem sacrum vetitam impedirent, volebant quodlibet Religiosorum collegium uno Doctore suum exercente munus, & unica schola contentum esse. Is vero, addunt, priusquam suo nomine doceat, tentabitur docens ut prima donatus laurea, seu baccalaureus sub alio Doctore. Quisquis honores proximos a Doctorum gradu adeptus, seu Licentiatus fuerit, ab eorum societate excludetur, nisi se huic

Dubon.  
p. 245.

Fac. 3. I.

Sæcul. XIII. constitutioni submiserit. Data est mense  
 A.C. 1254. Februario, an. 1251, nempe an. 1252 ante  
 Pascha. Hic collegia vocantur ædes, in quibus Religiosi communiter vivebant, ut Dominicani, Franciscani, & a brevi tempore Cistercienses.

*Id p. 250.*

Anno sequente 1253 quadam nocte verni jejunii quatuor Academici & famulus quidam laicus ab excubiis vim passi unus illorum peremptus, reliqui vulnerati, per injuriam in carcerem conjecti & spoliati, postridie tamen semianimes dimissi sunt poscente Universitate. Quæ per mensem & amplius a lectionibus suis cessans, frustra postulato sæpius jure, ad urgendam satisfactionem jurejurando se obstrinxit exceptis tribus Doctoribus Religiosis, duobus Dominicanis, & uno Franciscano, hoc juramentum recusantibus. At illa securitati suæ providens sanctionem fecit, ut nemo deinceps in Magistrum aut Doctorem ullius facultatis reciperetur, qui non in pleno congressu, vel saltem coram tribus Doctoribus jurasset, se Universitatis leges observaturum: ut præterea, si qua cessatio lectionum ob causam huic similem contingeret, quisquis eas incipere aut resumere auderet, ab Universitate perpetuo excluderetur. Sic statutum mense Aprili. Tandem Alphonsus Pictavii Comes, absente Rege

Rege fratre suo Regni administrator, eos, *Sæcul. XIII.*  
 qui Academicos tam male habuerant, *A.C. 1254.*  
 meritis affici pœnis iussit: duo per vicos  
 raptati e furca suspensi sunt: cæteri in  
 exilium ejecti fuere.

Rem altissime repetit ac fusissime nar-  
 rat epistola, quam anno proximo Univer-  
 sitas cunctos ad Præsules scripsit, & cu-  
 jus hæc est summa. Fratres Prædica- *Dubou*  
 tores Parisios parvo numero delati, cum *p. 255.*  
 in sua vivendi ratione speciem pietatis  
 ac utilitatis publicæ præ se ferrent, no-  
 biscum in Theologiæ studium cum fer-  
 vore ac demissione ingressi sunt. Itaque  
 sincera charitate susceptis domum quan-  
 dam nobis propriam dedimus, in qua e-  
 tiamnum habitant. Sic beneficiis no- *Sup.lib.78.*  
 stris proficientium numerus adeo crevit,  
 ut multa modo per omnem terram col-  
 legia habeant. Modestiam coluerant i-  
 nitio: sed ambitione tacti, cum esse Do-  
 ctiores cuperent, volebant in rem suam  
 vertere ærumnam, quæ Scholæ Parisien-  
 si accidit, & maximam ejus partem An-  
 degavum transtulit. De rixa loquuntur *Sup.lib.79.*  
 an. 1229 Academicos inter ac cives or-  
 ta. In hac raritate discentium, qui Pa-  
 risiis manserant, & in absentia Doctorum  
 Fratres Prædicatores ab Episcopo &  
 Cancellario Professoris cathedram obti-  
 nuere. Conservarunt eam, cum Uni-

Sæcul. XIII.  
A. C. 1254.  
versitas Parisiis instaurata esset, suoque nomine alteram erexerunt per nostram indulgentium facilitatem, cum nondum alia Religiosorum Collegia nos coartarent.

Progressu temporis Parisiis dari sex collegia Religiosorum, scilicet Clarævaliensium, Præmonstratensium, Vallis Scholasticorum, Trinitariorum, Fratrum Prædicatorum, Minorumque, præter cæteros Regulares Lutetiam venientes litterarum causa, sed collegia non habentes, aliquos Doctoris cathedram conscendisse, alios eo aspirare consideravimus. Præterea Ecclesiæ Parisiensis Canonici, quorum tres apud nos Theologiam docent, consueverunt multiplicare numerum pro ratione hominum idoneorum, quos habent. Denique si urbis statum & Apostolicæ Sedis præscriptum consulamus, vix duodecim Theologicæ facultatis cathedras honeste sustentare possumus, tum ob paucitatem nos audientium, tum ob Fratres Prædicatores & alios aliis in locis docentes.

Cum de his duodecim cathedris novem continenter occupent Religiosi, duæ tantum vel tres restabunt sæcularibus ex omni terrarum parte Lutetiam ad-

eunti-

p.256.

euntibus. Atque si cætera collegia Fra-  
 trum Prædicatorum exemplo duplicare  
 cathedras vellent suas, auditores profa-  
 ni omnes a cathedris Theologicis perpe-  
 tuo excluderentur; & nos hanc urbem,  
 in qua magnis sumptibus a longo tem-  
 pore nostra nobis commoda comparavi-  
 mus, relinquere cogeremur, & loca mi-  
 nus opportuna petere, aut nos totos  
 scientiis profanis applicare, cum tamen  
 Theologia magis necessaria sit Clericis  
 sæcularibus ad regendas Ecclesias & cu-  
 ram animarum vocatis, quam Regulari-  
 bus, quibus hæc rarius injungitur. Ex  
 his rationibus post maturam deliberatio-  
 nem decrevimus, ut nullum coenobium  
 duas Doctorem simul docentium cathe-  
 dras in nostro corpore tenere possit: non  
 tamen obstare volumus, quin Regulares,  
 quotiescunque visum fuerit, fratres suos  
 doceant. Sed huic sanctioni Fratres  
 Prædicatores se totis viribus oppo-  
 nunt.

Postquam injuriam præterito jejunio  
 verno acceptam persequi statuimus, soli  
 Fratres Prædicatores tunc docentes se  
 ad id adstringere recusabant, nisi duas  
 Theologiæ cathedras in perpetuum sibi  
 concederemus. Id vero nequibamus:  
 nec tunc quæstio de scholis illorum vel

sæcul. XIII.  
 A.C. 1254.

722.9

**Sæcul. XIII.** nostris erat, sed de compensanda injuria  
**A.C. 1254.** nobis facta. Eorum renixus fecit, ut per  
 septem hebdomades & retardaretur com-  
 pensatio, & lectiones nostræ interrompe-  
 rentur. Interea similem aliorum Docto-  
 rum contumaciam præventuri, alia con-  
 stitutione sanximus, ut nemo ad Docto-  
 ris gradum admitteretur, qui non antea  
 jurasset, se decretis nostris obsecuturum.  
**p. 257.** Fratres Prædicatores iterum denegabant  
 consensum, nisi duas sibi scholas permit-  
 teremus: & nos potestate per præscri-  
 ptum Pontificium nobis data eos a com-  
 munionem ac corpore nostro sejunctos de-  
 claravimus, idque pro more nostro per om-  
 nes scholas promulgari jussimus.

Tum vero Fratres Prædicatores vete-  
 ris modestiæ suæ nostrorumque benefi-  
 ciorum obliti, nobis afferre infamiam, nos  
 pietatis ac Religiosorum omnium inimi-  
 cos dicere, & apud Comitem Pictavii, e-  
 jusque Aulicos primarios accusare, quod  
 leges contra Deum Ecclesiamque univer-  
 salem, & conspirationes contra Regis ho-  
 norem, ac regni salutem fecerimus. Ad  
 Papam dein & ad Cardinales profecti ne-  
 mine nostrum præsentem per mendacia &  
 calumnias impetrarunt, ut Venerabilis  
 Episcopus Ebroicensis juberetur nobis  
 author esse illos in nostrum corpus salvis  
 decre-

decretis nostris recipiendi, donec Papa <sup>Sæcul.XIII.</sup> rem melius edoctus aliud statuisset. <sup>A. C. 1254.</sup> Curerunt etiam, ut idem Episcopus hujus rescripti executionem Magistro Lucæ Canonico Parisiensi injungeret. Qui nec injus nos vocans, nec nostras defensiones audiens, nec appellationis nostræ rationem habens, ex altero Papæ responso ad se misso, Theologiæ, Jurium, Medicinæ Doctores cunctos, & auditores eorum universos a functionibus ad tempus abstinere jussit: & hanc sententiam in omnibus Lutetiæ parœciis promulgandam curavit magna laicorum offensione.

Ut vero nostrum sejunctionis decretum per omnes scholas semel ac iterum novorum auditorum indies supervenientium causa edici solet: ministri nostri seu bidelli ad scholam Fratrum Prædicatorum venerant: & unus eorum legere decretum cœpit. Sed Fratres, qui magno ibi numero erant, infestos inter clamores adversus ministros ibant, & cum eos convitiis operuissent, charta e manibus legentis erepta, alium sic verberabant, ut sanguinem funderet. Rector ipse cum tribus artium Magistris eo venit: sed nihilo melius acceptus, re infecta abiit. Insuper Magistrum Lucam adegerunt, ut per epistolam testaretur, e Doctoribus & audito-

**Sæcul. XIII.** auditoribus nostris quadraginta se præ-  
**A.C. 1254.** sente consensisse, ut illi ad nostrum cor-  
 pus admitterentur. Sed hac epistola co-  
 ram nobis publice lecta cum nominati  
 negarent factum, Magister Lucas in rubo-  
 rem datus, ejus sigillum ipse rupit, misti-  
 que aliam, in qua contrarium asserit.  
 Nos utramque asservamus. Idcirco ve-  
 riti, ne Fratres Prædicatores in omnes  
 diffusi Ecclesias fratres suos Parisienses  
 defendendi gratia factorum veritatem te-  
 gerent, vos nobis informandos duximus,  
 ut illorum molitionibus, quarum conse-  
 ctaria videtis, convenientia asseratis re-  
 media: alioqui timendum, ne labante  
 Schola Parisiensi, quæ fundamentum est  
 Ecclesiæ, ipsum ædificium periclitetur.  
 Hæc epistola scripta in urbe S. Juliani  
 pauperis ibi legebatur in confessu Docto-  
 rum die Mercurii post Purificationem an.  
 1253 nimirum 4 Febr. 1254. Alibi non-  
 dum legi Scholam Parisiensem fuisse fun-  
 damentum Ecclesiæ.

**Guil. a** Eodem anno Parisiis palam explicari  
**S. Amore** coeptus est liber inscriptus *Evangelium*  
**p. 38. 39. 500.** *Æternum*, Joanni Parmensi tunc Ministro  
 Fratrum Minorum Generali attributus.  
 Nitebatur in doctrina Abbatis Joachimi,  
**Mat. Par.** & plures continebat errores. Perhibe-  
**p. 806.** bat, Evangelium Christi finem habiturum  
 an.

an. 1260, ut succederet Evangelium æter-  
 num priore tanto superius, quantum sol  
 lunæ præstaret: id fore Evangelium Spi-  
 ritus Sancti, qui præscripturus aliam vi-  
 vendi rationem, Ecclesiamque aliter ordi-  
 naturus esset. Hujus doctrinæ odium  
 in Dominicanos æque ac in Francisca-  
 nos rejiciebant Doctores Parisienses, quos  
 inter vehementius eos impugnabat Gui-  
 lielmus a Sancto Amore palam conque-  
 rens, novos Religiosos suis abutentes pri-  
 vilegiis hierarchiæ ordinem turbare.

Sæcul.XIII.  
 A.C.1254

§. LV.

*Litteræ Pontificiæ contra molimina  
 Regularium.*

Papa Innocentius auditis pluribus ejus-  
 modi querimoniis ad omnes omnium  
 Ordinum Religiosos litteras dedit, in qui-  
 bus postquam Præsulum & Cleri sæcu-  
 laris querelas exposuit, ita loquitur.  
 Quandoquidem hæ molitiones Parochos  
 in contemptum adducunt, ac verecun-  
 diam, quæ magna poenitentiae pars est,  
 auferunt, dum populus non pastori suo  
 semper præsentem, sed extraneo cuidam  
 confitetur, quem nonnisi transeuntem vi-  
 det, & ad quem in necessitate refugere  
 vix aut ne vix quidem potest: disertis  
 prohi-

Bulla: *Etsi  
 animar.  
 præf. S. Am.  
 p. 74.  
 Duboulay  
 p. 270.*

Sæcul. XIII.

A. C. 1254.

prohibemus verbis, ne Dominicis ac festis diebus alienæ parœciæ homines absque discrimine vestra in templa, & sine Parochi sui permisso ad sacra tribunalia admittatis: nam ex Concilio generali, si quis justam ob causam Sacerdoti extero confiteri velit, id faciendi copiam a Parocho suo obtinere debet, aut ei prius confiteri, & ab eo absolutionem accipere.

Atque ne templis parochialibus congruens pietatis exercitium subtrahatur, sacrificii hora, qua parochianis ibi comparandum est, vos in templis vestris sermones non habebitis, ne populus hos audiendi gratia a parochialibus templis absit. Sed nec aliis in parœciis sacras dicetis orationes, nisi vos Parochus invaverit, aut ejus permillum humiliter petieritis. Et ut Episcopis debitus habeatur honor, illo die, quo Episcopus Diocesanus, vel ejus loco alius de rebus divinis solenniter ad populum dicet, eodem in loco, præsertim si Cathedralis sit Ecclesia, nemo vestrum e suggestu verba faciet, ne concio nimis frequens fastidium pariat, & in contemptum veniat. Si vestris in templis alienæ parœciæ hominibus sepulturam in quodam casu, in quo licebit, dabit, remunerationis partem dimidiam, aut tertiam, vel quartam  
Epis-

Episcopo vel Parocho tradetis ex decre- Sæcul.XIII.  
to Papæ Gregorii. Hæ litteræ Neapoli A. G. 1254.  
21 Nov. 1254 ad omnes Religiosos scri-  
ptæ ponunt aliquos habere parœcias si-  
cut Canonicos Regulares.

§. LVI.

*Papæ Innocentius IV. moritur.*

Interim novus in Sicilia Papæ Legatus,  
Guilielmus Cardinalis Diaconus tit.  
S.Eustachii authoritatem suam sic exten-  
debat, ut Manfredi partes dicerent, hunc *Anon. ap.*  
Præfulem non Governatorem sed Domi- *Ughell.*  
num agere; Papamque velle regnum si- *p. 771.*  
bi vindicare, ac familiam Cæsaris Fri-  
derici extinguere. Præterea Procerum *Epist.*  
quidam Burelius nomine, qui, ut se Pa- *Manfr. ap.*  
pæ addiceret, a Manfredo desciverat, ab *Petr. de Vin.*  
hujus clientibus & satis prope ipsum oc- *II. c. 5.*  
cisus est, quanquam ejus injussu, ut per-  
hibebat. Sed Papa contrarium credi-  
dit: & Manfredus se non securum ratus,  
ut ab illo etiamnum Capuæ morante se *Anon.*  
removeret, per vias averfas Nuceriam *p. 792. p. 794.*  
adiit, cujus incolæ Saraceni apertis eum  
brachiis 2 Nov. excipiebant. Magnis  
ibi opibus repertis intra modicum tem-  
pus numerosam collegit manum. Cum-  
que Legatus ac exercitus Papæ Trojam  
&

Sæcul. XIII.

A. C. 1254.

p. 801.

& Foveam prope Nuceriam occuparent, pars copiarum Manfredi pugna se implicuit, quæ huic occasionem dabat Foveam intrandi die Mercurii 2 Decembris an. 1254. Præsidium nocte sequente abiit; ac eodem tempore Legatus trepidans Trojam præcipiti fuga reliquit: sic Manfredus utroque loco potiébatur.

Legatus Neapolim se recipiens ibi comperit, Papam Innocentium IV. 7 Decembris posuisse vitam, cum Sedem Apostolicam annos undecim, menses quinque, dies quatuordecim tenuisset. In Cathedrali Templo Neapolitano terræ mandatus est, ac Romanum interregnum ultra septendecim dies non duravit.



HISTO-